



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

Liber CXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXIII.

PAULUS II. PONTIFEX MAXIMUS.  
FRIDERICUS III. OCCIDENTIS  
IMPERATOR.

§. I.

*Georgii Castriotti alias Scanderbegi obitus.*

**A**nno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo firmum Religionis fulcrum, & potentissimum fidei defensorem luxit Ecclesia. Is erat Georgius Castriottus dictus Scanderbegus Albanæ Princeps,

Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

Q 3

ceps,



Sæcul. XV ceps, qui Lyssi ad Drillam annem, ubi  
 A.C. 1467. etiam sepultus est in Ecclesia majori S.  
 Nicolai, die vigesima septima Januarii ex  
 hac vita migravit, annos natus sexaginta  
 tres. Referunt nonnulli Scriptores, quod  
 Turcæ capto postea Lyssi oppido, eruta  
 e sepulchro Scanderbegi ossa veluti sacra  
 venerati essent, ac Religionis studio  
 ea asportassent, eoquod omnes ejus-  
 dem ossibus ab omni discrimine tutos se  
 fore crederent. Reliquit Scanderbegus  
 Filium unicum, Joannem nomine, quem  
 uxor sua Dynastæ Albanensis Filia ex il-  
 lustris Arianitarum domo nata ipsi pepe-  
 rerat; Hic Scanderbego fatis functo,  
 unacum tota Albania tutelæ Venetorum  
 concreditus est.

## §. II.

*Mors Philippi Burgundiæ Ducis.*

*Monstrelet.*  
*Vol. 3. c. ult.*  
*Olivar. de*  
*Marchial. 2.*  
*cap. 37.*

Quinto post Scanderbegi obitum mense  
 die quinta decima Junii Brugis in  
 Flandria Philippus Burgundiæ Dux post  
 triduanam infirmitatem mortuus est, an-  
 no ætatis septuagesimo secundo; & pri-  
 mum in Ecclesia S. Donatiani sepultus,  
 postea delatus est Divionem in Burgundia  
 ad monumenta suorum Majorum in con-  
 ventu Carthusianorum, quod ipsemet  
 olim dotaverat. Præclaris animi doti-  
 bus *Boni* cognomen emeruit. Princeps  
 enim erat ob liberalitatem, moderationem  
 animi



animi, magnanimitatem, atque justitiam longe celeberrimus; id tamen illi jure vitio vertitur, quod obscænis voluptatibus nimium deditus, furtivo concubitu octo filios, unamque filiam sustulerit. Tres conjuges habuit, ex quibus nonnisi duos suscepit filios, alterum præmatura morte vix non in cunis ereptum, alterum vero Carolesii Comitem, quem deinceps Burgundiæ Ducem appellabimus; Hic successit in amplissimas Patris sui ditio- nes unicus hæres, tunc circiter triginta quatuor annos natus; Ast Patri suo longe dissimilis; quippe fundendi sanguinis ac vindictæ cupidus, animo turbidus, ambitiosus, sine lege liberalis, ac rursus sine modo avarus, ingenio rudis, & a molitie alienus erat. Ceterum Mulierum blanditias exhorrebat, legumque suarum accerrimus vindex, transgressores severe puniebat.

Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

§. III.

*Leodienses a novo Burgundiæ Duce bello invasi.*

Carolesius, jam Burgundiæ Dux, adeo *Commin. l. 4.* infensum in Gallos gerebat animum, *Gaguin. hist. Franc. l. 18.* ut, quicumque a Francia protegeretur, hoc solo nomine Ducis præsidio excideret, ac ipsius indignationem in caput suum accerferet. Enimvero potissimum

Q 4

hæc



**Sæcul. XV.** hæc caussa Ducem impulit, ut iplo Principatus sui initio bellum adversus Leodienses redintegraret. Dinando enim urbe jam Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto vi capta, Leodienses magno eorum dispendio ad concordiae leges secum faciendas compulerat: Hi tamen, Burgundo nequaquam sincera fide reconciliati, mox comperto Philippi Ducis obitu, denuo ad arma convolarunt, ac Hayum oppidum ceperrunt. Dux cum inveterato in eos odio flagraret, ac Ludovicum Francorum Regem eisdem favere iniquo profusus ferret animo, novos eorum insultus severe castigare decrevit. Ludovicus XI. horum caussam in se suscipit, & Connestabilem S. Pauli, necnon Joannem Balves non ita pridem Cardinalibus adscriptum ablegat, qui Ducem, ne Leodienses bello opprimeret, exorarent: Verum, nihil proficientibus eorum precibus, Regis sui nomine polliciti sunt, Ludovicum haud ultra Leodiensibus auxilio futurum, si & ipse deinceps a tuendis Britanniae Ducis partibus recederet. Ast hac quoque conditione a Duce repudiata, Oratores ad Regem re infecta reversi sunt.



## §. IV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

*Leodiensibus cæsis, Oppidum S. Trunonis, Tungros & Leodium urbes a Burgundo ereptæ.*

Vix discesserant Legati, cum illico Burgundiæ Dux S. Trunonis oppidum tribus Leodiensium millibus munitum cingit. Equidem ad primum obsidionis rumorem in subsidium urbis accurrunt triginta bellatorum millia: verum Burgundus eisdem obviam progressus, inito prælio in primos ordines tanta cæde invehitur, ut desideratis Leodiensium novem millibus ceteri omnes in fugam agerentur. Trunonenses comperta ingenti suorum clade deditioem fecerunt, ac decem cives Victoris arbitrio traderunt, quos tamen omnes Dux capite plecti iussit; demum vero parta hac victoria in Tungros sua arma convertit; ast Cives confestim urbem dederunt, patris iisdem legibus, quæ paulo ante Trunonensibus præscriptæ fuerant. Postea Burgundus continuato victoriæ cursu totam Leodiensium ditionem longe lateque emensus est, necdum tamen Leodium urbem obsidendi consilium cepit, eo quod hyemis asperitas jamjam immineret; quocirca duntaxat exercitum suum urbi admovebat, eo fine, ut Leodien-

Commin. lib.  
2. cap. 3.



Sæcul. XV. diensibus terrorem incuteret, atque ul-  
 A.C.1467. troneam ab eis deditionem extorqueret.

Verum hi adeo ingenti metu percussi, prostratique erant, ut Dux urbem per muri ruinam dedita opera factam impune ingrederetur, eique civitatis Primores numero trecenti, solo indusio tecti, cetera pedibus & capite nudi urbis suæ claves traderent, simulque se ad omnes, quascunque imponere vellet condiciones paratos offerrent, dummodo illos nec incendio, nec urbis direptione mulctaret. Nihilominus Dux viginti aut triginta ex civibus, quos gravior seditionis culpa tenebat, capite plecti iussit, everfisque turribus, atque urbis moeniis, Magistratus veteres, aliis subrogatis, exautoravit, ingentemque pecuniarum summam extorsit. Cuncta hæc Mense Novembri gesta fuere. Equidem Ludovicus Galliarum Rex copias Leodiensibus, ductore Chabannio, in auxilium misit, verum illæ sero nimis advenerant. Ceterum poenæ severitas, qua Burgundus nuper Leodienses affecerat, Gandavenses ad officium revocavit; hi enim, quamvis comperta Philippi Ducis morte seditionem movissent, mox tamen omnibus suis vexillis Brugas missis sese novi Ducis imperio subjecerunt.



## §. V.

Sæcul. XV.  
A. C. 1467.*Cardinalis Atrebatensis in Galliam ab-  
legatus pro abolenda Sanctione  
pragmatica.*

Interea temporis Cardinalis Atrebatensis paulo ante a Papa ad Albiensem Ecclesiam promotus, in Francia Legatus advenit, eo fine, ut Parisiensis Senatus decretum obtineret, quo regii edicti literæ, quibus Ludovicus Galliarum Rex Sanctionem pragmaticam in Regno suo abrogaverat, confirmarentur; præcipua enim Sanctionis capita adhucdum observari compertum erat, eoquod Regis abolitio nullius crederetur esse valoris, nisi etiam Senatus supremi accederet authoritas, atque consensus. Legatus, ut demandatum sibi negotium eo certius ad optatum perduceret exitum, laboris socium sibi adscivit Joannem Balvem Ebroicensem Episcopum, quem Paulus II. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto purpura decoravit, spe concepta, quod ille integram Pragmaticæ Sanctionis abrogationem effecturus esset. Igitur Balves aucupata temporis opportunitate serias selegit, in quibus Parliamentum Mense Octobri a negotiis vacabat. Tum vero abrogationis literas, quas a Rege acceperat, in *Castelleto*, ut  
vocat,



Sæcul. XV. vocant, seu in Parisiensis territorii forensi  
A.C. 1467. curia, approbatas nullo negotio obtinuit.

Ubi autem id ipsum in aula Parlamenti Balves confirmari petiit, Joannem a S. Romano, regium Curiae Procuratorem, cujus nomen apud Historicos satis celebre est, suis consiliis adversantem reperit. Is enim forti animo sese opposuit, ne Regis literæ tabulis Parlamenti infererentur, ac Ebroicensi Episcopo, qui Regis nomine eidem minas, & muneris sui privationem intentabat, respondit: in arbitrio Regis positum est, ut me exuere possit officio, quod mihi contulit, quamdiu autem illo fungar, nihil, quod conscientiam meam lædat, aut in damnum regni cedat, faciam, atque ideo nunquam legis adeo prudentis, sacrisque Ecclesiæ Canonibus consonæ abrogationem ullo tempore admittam: potius tu ipse, utpote Episcopus totus deberes pudore suffundi, quod talia postules, eademque, ut deducantur ad effectum, tanto ardore urgere non dubites.

§. VI.

*Procurator Generalis constanter  
 oblectatus.*

Præcipuæ rationes, quibus Parlamenti  
 Senatores ad tantam animi firmitatem



tem compellebantur, ad tria restringun- Sæcul. XV.  
 tur capita. I. Persuasum ipsis erat, ab- A.C. 1467.  
 rogata Pragmatica, eo ipso in Electioni-  
 bus veterem everti Ecclesiæ disciplinam  
 simulque Ordinariis jus eligendi subtrahi,  
 ac reservationes, gratias expectativas,  
 necnon & causas in prima cognitione  
 ad Romanam curiam evocandi usum de-  
 nuo stabiliri: præterea Patronos ad Be-  
 neficia præsentandi, Ordinarios vero lo-  
 corum beneficia conferendi jure spolia-  
 ri: quibus omnibus Ecclesiam horrenda  
 confusione involvi timebant. II. Cre-  
 debant, Academijs Viris ad explenda fo-  
 ri, & Ecclesiæ officia idoneis destitu-  
 tum iri, eo quod plures Regis subditi Ro-  
 mam petaturi essent, alii quidem ut Ponti-  
 ci ab obsequio sint, & dignitatibus ab eo  
 augeantur, alii vero ut Romæ Ministros a-  
 gant, plurimi denique, ut sua negotia, quæ  
 integros annos tenent, prosequerentur.  
 III. Asserebant, quod, si abrogationis lite-  
 ræ ad acta referantur, omnis pecunia e Re-  
 gno Romam deferretur. Verum cunctis  
 hisce rationibus omnino rejectis, Rex  
 sollicitante Ebroicensi Episcopo Procu-  
 ratorem Generalem officio suo abire jus-  
 sit. Habemus tamen ex Historiæ hu-  
 jus serie, hunc a Rege majoribus au-  
 ctum honoribus, semperque multum gra-  
 tia & auctoritate apud eum valuisse.

## §. VII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

§. VII.

*Appellatio Parisiensis Universitatis ad  
futurum Concilium.*

*Spond. Con-  
zin. anal. ad  
ann. 1467. n. 3*

Plurimum displicuit Academiae Parisiensi abrogandæ sanctionis consilium; Quare illius Rector una cum pluribus ejus sociis Legatum adibat, atque ab eo necnon ab omni prædictarum literarum effectu contra dictam legem obtento vel imposterum obtinendo provocavit ad futurum Concilium Generale, indeque *Castelletum* petens, idem præstitit, suamque appellationem in acta referri curavit. Cardinalis Balves, cum rem expectatione sua gravioribus difficultatibus obnoxiam cerneret, & quorundam animis jamjam incalescentibus, majora facile incommoda, turbasque, si pertinacius rem urgeret, inde orituras pertimesceret, maxime eo tempore, quo Regis auctoritas necdum satis firma substiterat; hinc negotii cursum ardentius promovere noluit. Unde nil amplius in hac causa actum est, donec Ludovici XI. Successor regni habenas moderari cæpisset.

§. VIII.

*Cardinalis Atrebatensis indoles ex  
Cardinale Papiensi.*

*Papiens.  
epist. 48. &  
394.*

Præcipuus ex duobus illis Cardinalibus,  
qui



qui tanto studio Pragmaticam Sanctio-  
nem abrogari cupiebant, erat Joannes  
Jofridius seu Geofredus patria Burgun-  
dus. Is obscuro admodum loco natus,  
insuper haud toleranda scientiæ suæ ja-  
ctantia, ac falsa de se ipso opinione no-  
tatus erat. Exaggerabat plurimum sua  
in Ludovicum, ac defunctum Burgun-  
diæ Ducem obsequia, quorum gratiam  
adeo dextere aucupari noverat, ut ad  
eorum preces purpuram obtineret.  
Hanc tamen dignitatem a Geofredo hu-  
millimæ sortis homine obscuratam do-  
let Cardinalis Papiensis. (\*) Nihilomi-  
nus fatendum, Geofredum ingenii sui  
præstantia, & mira in rebus gerendis  
dexteritate plurimum natalium obscuri-  
tatem illustrasse. Fuerat is parum ac-  
ceptus Pio II. Pontifici, cujus tamen re-  
missius in Cardinalem studium præcipue  
ortum traxit ex eo, quod ipse immode-  
rato studio Ludovici XI. Regis partibus  
adhæserit, & Andegavensium in Regnum  
Neapolis jura contra Papam vehemen-  
tius defenderit. Proin haud mirum, si  
Papiensis Cardinalis, qui Pii Pontificis  
com-

Sæcul. XV.  
A. C. 1467.

Bellefort.  
hist. Franc.  
invita Lu-  
dov. XI.

(\*) Hæc Papiensis in Geofredum, dum  
vindictæ zelo ferueret, effudit, eidem vero re-  
conciliatus illum vocat, Patriæ suæ decus, li-  
terarum ornamentum, & literatorum facile  
Principem.



Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

commodis, utilitatique plurimum serviebat, Geofredum durius exceperit, ejusque existimationem nonnihil depresso. Nihilominus hos duos Cardinales postea sibi reconciliatos fuisse compertum est.

## §. IX.

*Joannis Balvis genium.*

Alter erat Joannes Balves Cardinalis, obscuris parentibus ortus; quippe illum nonnulli Filium molitoris, alii futuris Virdunensis fuisse credunt, quidam etiam Pictavii Patrem nactum fuisse Sartorem referunt. Hic magna cum laude emenso studiorum curriculo, primo in consortium Juvenalis de Urfinis Pictaviensis Ecclesiæ Antistitis se dedit, demum ad Joannis de Bella-valle Andegavensis Episcopi famulatum translatus, Generalis Vicarii officio functus, ejusdemque Ecclesiæ Cathedralis Canonicus renunciatus est. Eo tempore Balves cum Episcopo Andegavensi, qui a Rege Carolo VII. Romam mittebatur, profectus, quotidie negotiorum causa Papiensem Cardinalem convenit; unde hic ex frequenti colloquio diversis super rebus habito Balvis indolem, & merita penitus inspexit. Postmodum Roma in Gallias redux, ductore Joanne Melodunensi, qui apud Ludovicum XI. plurimum vale-

*Robert. Ga-*  
*guin. &*  
*Paul Emil.*  
*in Ludov. XI*  
*Papiens.*  
*comm lib. 7.*  
*Aubery hist.*  
*Cardin-*  
*Monstrelet.*  
*vol. 3.*



valebat, Regem accessit, a quo, utpote ho-  
 mines etiam obscuro loco natos ad  
 summas dignitates evehere studioso, E-  
 leemosynarius Regius primum nomina-  
 tus, demum insigni Abbatia Beccensi in  
 Normannia, aliisque Ecclesiæ beneficiis  
 auctus est: Deinde ab eodem Ludovico  
 ærarii Regii Præfectus constituebatur,  
 postea etiam Ecclesiam Ebroicensem ob-  
 tinuit, qua dimissa Episcopatus Ande-  
 gavenensis administrationem sibi vendica-  
 vit, postquam Joannem de Bella-  
 valle E-  
 piscopum, confictis in eum apud Regem  
 pluribus contra regni salutem criminibus,  
 sede sua deturbaverat. Nihilominus,  
 cum Paulus II. Anno millesimo quadrin-  
 gentesimo sexagesimo quarto Cardinales  
 numero octo crearet, etiam ipse sacro Col-  
 legio adscriptus est. Erat enim ad frau-  
 dem callidus, versipellis, & simulationis  
 artificio eruditus, semperque dolosis ver-  
 borum ambagibus ea, quæ animo volu-  
 tabat, ad exitum deducere nitebatur,  
 cetera totus ad artes & fraudes compo-  
 situs. Præcipue vero versutum hujus  
 Viri ingenium Romana Curia experie-  
 batur; quoties enim is rem majoris mo-  
 menti a summo Pontifice petebat, prius  
 adversus eum varias excogitabat calu-  
 mnias, eo fine, ut Regis iram contra Pa-  
 pam provocaret, postea autem se eidem  
 tanquam pacis conciliatorem inter u-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1467.

Spond. Con-  
 tin. annal ad  
 ann. 1467. n. 5



Sæcul. XV. A. C. 1467. trumque offerebat, ita tamen, ut pro sublati diffidii mercede gratia, quam petebat, sibi concederetur, tantaque sagacitate fraudem tegebat, ut Balves ex omnibus Gallis solus Romanæ Ecclesiæ addictissimus videretur. Cum vero eum minime lateret, quod Sanctio pragmatica necdum plene in Regno abrogata esset, ac illius restauratio a Parliamentis & Universitatibus communi opera urgeretur, Regem inter & Britannæ ac Burgundiæ Duces diffidia seminare studuit; timebat enim, ne hi Principes animo uniti junctis etiam viribus sanctionis usum rursus inducerent. Præterea idem Episcopus tantopere bellicis rebus delectabatur, ut ipse regias copias recensere, & militibus contra *ligam boni publici* conscriptis stipendia propria manu numerare non dubitaret; Hanc rem indignabatur Chabannius Dammartini Comes; hinc cum quondam Rex in suburbio S. Antonii copias recenseret, inspecto Cardinale, qui Inspectoris officium obibat, a Rege petiit, ut ei concederet Ebroicas eundi, ac hujus diocesis Clericos examinandi, initiandique facultatem. Regi hujus postulati causam sciscitanti respondit Comes: *Rex potentissime! tam bene mihi Sacerdotes initiandi cura, quam Episcopo Ebroicensi militum recensio convenit.* Facetus iste jocus non modico risu



rifu a Rege, aulicisque exceptus, nequaquam Cardinalis auctoritatem imminuit, quem tamen gravior infestæ fortunæ casus tractu temporis non minus celebrem reddidit, quam repentinus felicitatum concursus, quo ad supremas dignitates ascendit.

## §. X.

*Fabrica S. Marci a Pontifice absoluta.*

Hoc anno Paulus II. Pontifex fabricam palatii S. Marci absolvit, aliisque pluribus negotiis feliciter compositis, cum otium nactus, laboribus quodammodo expeditum se cerneret, ludos prorsus magnificos ad populi lætitiã instituit, ac præprimis præmia cursu certantibus proposuit, omnesque ad ludricum hoc certamen admisit, nulla vel Religionis, vel ætatis tacto discrimine. Stadium erat ab arcu Domitiani in via publica usque ad ædes S. Marci. Ibi currebant promiscue pueri, juvenes, & senes, Christiani æque ac Judæi, vecti qua equis, qua asinis, & bubalis, ubi cuicumque, qui primus metam attingeret, varia constituebantur præmia. Cardinalis Papiensis severior hujus spectaculi censor Paulum arguere non dubitavit: ejusmodi, inquit, inquit, ludi paganorum vanitatem redo-

R 2

lent

Sæcul. XV.  
A. C. 1467.

Platin. in vita  
ta Pauli II.



Sæcul. XV. lent, ac Majestate summi Pontificis indi-  
A.C. 1467. gni sunt, ejusque auctoritatem deprimunt.

## §. XI.

*Primordia instituti Fratrum Minorum  
 Francisci de Paula.*

*Spond. an-  
 nal hoc ann*

*1473. n. 15.*

*1482. n. 3.*

*1500. n. 8.*

*Comin. lib. 6.*

*cap. 9.*

*Baillet. vit.*

*Sanct. ad*

*diem 2 April.*

Eodem anno Franciscus ab ignobili Ca-  
 labriæ oppido, quo natus est, de Pau-  
 la cognominatus, nova prole Ecclesiam  
 foecundavit. Is primam lucem aspexit  
 Anno Domini millesimo quadringentesi-  
 mo decimo octavo. Patrem habuit Ja-  
 cobum Martotillam, Matrem vero Vien-  
 nam a Castro-Foscaldo. Ambo hi pa-  
 rentes nuncupato voto puerum Deo sa-  
 crabant, ac Fratibus S. Francisci insti-  
 tuendum tradebant, a quibus Franciscus  
 in monasterio urbis ad S. Marcum, quæ  
 postea in Episcopalem hujus Provinciæ  
 sedem erecta est, receptus fuit, ibidem-  
 que solidum annum transegit, demum  
 vero multis peregrinationibus expletis,  
 in solitudinem haud procul ab oppido  
 Paula disitam secessit; verum frequen-  
 tiam hominum eo confluentium exofus,  
 ad asperiores, magisque remotam con-  
 fugit eremum, ubi in quadam petra ma-  
 ris litori incumbente delituit, ac sibi ibi-  
 dem domunculam exscidit. Cum vero  
 plures sese illi adjungerent, ante omnia  
 Eremitorium, tres cellulas, atque orato-  
 rium



rium quoddam circa circum eandem pe- Sæcul. XV.  
A. C. 1467.  
tram construere necesse fuit; sed discipulo-  
rum numero indies aucto, hic ipse locus  
in Monasterium excrevit, ubi Franciscus,  
prima Ordinis sui fundamenta jecit; e-  
jusque fratres ab eo tempore dicti sunt  
S. Francisci Eremitæ.

## §. XII.

*Bohemiæ corona Poloniae Regi  
oblata.*

Vix in Bohemia fama percrebuit, quod  
Podiebracius a summo Pontifice sa-  
crorum usu interdictus esset, cum illico  
Catholici, qui nobiliorem hujus regni  
partem efficiebant, sese præstitæ fidei  
sacramento absolutos arbitrarentur: Igi-  
tur Oratores suos ad Casimirum Poloniae  
Regem ablegant, eidemque Regni coro-  
nam offerunt, eoquod ipse ex Regum suo-  
rum stirpe descenderet; cum enim La-  
dislai sororem sibi conjugem duxisset, u-  
xorio jure ceteris præferri merebatur.  
Podiebracius re intellecta eodem tem-  
pore suos quoque legatos in Poloniam  
decernit, qui Casimirum admonerent de  
foedere olim inter ipsos inito, quo cau-  
tum erat, ut neuter alterius hostem ope  
& opera adjuvaret, Romano tamen Pon-  
tifice excepto. (\*) Verum Regi respon-  
dit

R 3

(\*) Spondanns addit: religionis causa.



Sæcul. XV. dit Casimirus, quod si foedus servari cu-  
A.C. 1467. peret, tunc & Ipse pactis stare, violatam-  
 que fidem repararet. Cum hæc interea  
 gererentur, Bohemi Catholicorum Lega-  
 ti, necnon Pauli II. Pontificis Oratores  
 superveniebant. His Casimirus Poloniæ  
 Rex post longas tergiversationes tan-  
 dem his verbis mentem suam declaravit;  
 „ Equidem vobis grates refero pro obla-  
 „ ta Bohemiæ corona, idque regnum  
 „ mihi, meisque liberis certo jure de-  
 „ betur, nihilominus illud nunc accepta-  
 „ re haud valeo, donec salvo ho-  
 „ nore meo foedus, quod cum Bo-  
 „ hemiæ Rege percussi, rescindere pos-  
 „ sim; additque, quoniam Podiebracius  
 „ adeo aperte justam Sedis Apostolicæ  
 „ indignationem in se provocavit, hinc  
 „ omnibus palam facio, quod imposte-  
 „ rum mihi cum illo nullius rei commer-  
 „ cium erit, donec in gratiam summi  
 „ Pontificis redierit, interea vero con-  
 „ tendendum est, ut Rex ad officium  
 „ reducatur, & Pontifici majori submis-  
 „ sione addictus reddatur. „ Hæc Ca-  
 simirus: re tamen ipsa bello implicari ti-  
 mebat, bene gnarus, quod nonnulli Ger-  
 maniaæ Principes Podiebracii partes tue-  
 rentur. Nihilominus Legatos ad Bohe-  
 miæ Regem decrevit, qui eundem de a-  
 nimi sui proposito edocerent. Hos in-  
 ter præcipuus erat Joannes Dlugoffus  
 Cra-



Cracoviensis Canonicus, qui res Poloniae Sæcul. XV.  
A.C. 1467.  
conscripterat, ac olim Casimiri Regis filios literis imbuebat. Igitur Podiebracius hisce Legatis respondit, nihil se adversus summum Pontificem fuisse molitum, quinimo se pacta cum ejus Prædecessore, ac Basileensi Concilio erecta recepisse; si tamen forte in aliqua re sua agendi ratio reprehendi posset, correcturum se vitam, moresque suos, nec omnino recusare, ut Casimirus hac in re arbitrius esset. Postea hæc subjunxit verba: Catholici Casimirum litis arbitrum acceptare renuunt, inconsulto Pontifice, cujus jussu adversus Regem suum seditionem moverunt, eique obedientiam subtraxerunt. (\*) Postea tamen factæ sunt quinque mensium induciæ.

## §. XIII.

*Bohemia a Polono recusata, & Hungariae Regi a Pontifice oblata.*

Porro in eo erat Pontificis animus, ut nisi Casimirus decerneret Podiebracium armis opprimere, id negotii Matthiæ

(\*) Totum hunc §. Continuator ex Spondano descripsit, ultima tamen verba de suo in Pontificis odium adjunxit; Spondanus enim duntaxat hæc habet: cujus jussu bellum susceperunt.



Sæcul. XV. thiaë Hungariæ Regi committeret. In-  
 A.C. 1467. cendit oblata regni spes Regis animum;  
 sperabat enim, honestam sibi, qua sua ju-  
 ra redintegraret, viam parari. Verum  
 eam ipsam gravibus obstaculis obstructam  
 reperiebat. Imperator enim se in civi-  
 Bonfin. 4. decad. I. lis prudentiæ leges peccatorum arbitra-  
 Thuros. c. 66 batur, si sua indulgentia Matthias post  
 Michov. lib. 4 nuperæ concordiaë leges luculenter ab ipso  
 cap. 68. violatas duplici corona auctus, potentia  
 Cromer. lib. auctoritateque cresceret: Ipse quoque  
 23. Matthias gravi premebatur bello, quod  
 in Transylvanos, & Moravos, qui sedi-  
 tionem conflabant, susceperat, eosque  
 Moldaviam usque armis insectabatur.  
 Itaque Rex inter tot arcta prehensus, o-  
 blatam sibi a Pontifice coronam acce-  
 ptare non audebat; eoquod hostes suos  
 continuato bello compescere, in hoc re-  
 rum articulo consultius fore existimaret.  
 Nihilominus idem hoc bellum minus glo-  
 rioso exitu absolvit; quippe faventibus  
 noctis tenebris apud Baniam civitatem  
 Episcopali Sede illustrem a Moldavis in-  
 vadebatur, ac grave vulnus haud procul  
 a spina dorsi per sagittam acceperat, & de-  
 mum ægre per ignotos montium reces-  
 sus, Valacho quodam tribuno ductore,  
 vitæ periculum evasit.



## §. XIV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1467.*Conventus Norimbergensis ab Imperatore indictus.*

Egerat Pontifex crebro hortatu apud Imperatorem, ut in Podiebracium Regem bellum adornaret. (\*) Fridericus, quamvis nec armis delectaretur, nec pecuniarum subsidiis abundaret, Papæ tamen votis, quantum licuit, saltem specietenus satisfacere studuit, huncque in finem comitia Norimbergæ celebranda *Krantz. 12.* *Wandal. 37.* indixit, ubi multa quidem ultro citroque fuere proposita, ea tamen effectu caruerunt. Mittebatur ad hunc Conventum a summo Pontifice Ferrariensis Episcopus, qui hunc in modum ibidem perorabat: Non abs re metuendum est, ne Proceres, & populi Bohemiæ, qui a Podiebracio defecerunt, ad miserrimam omni-

(\*) Spondanus ad hunc annum num. 8. *cujus vestigia Continuator nimis presso pede sequitur, inquit, Pontificem apud Imperatorem egisse de bello Turcico; forte alius, (ne quidem adeo temere) observaret, eo consilio hæc verba in Podiebracium fuisse translata, ut Pontifici conciliaretur invidia, acsi neglecto Turcarum bello Principes in Regem Christianum concitare non dubitasset.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1467.

omnino conditionem redigantur, si Germani eis opem ferre cunctentur. Poloniæ etiam Regi hoc Regnum armis vindicandi animus non est, nec aliunde magna in ejus auxilio spes collocari potest. Imperator ob consuetas suas tergiversationes, quid consilii capiat, incertus hæret, ac duntaxat a Pontifice postulat, ne Hungariæ (\*) Rex in Germaniam accerferetur, eo quod illum ditioribus suis adeo vicinum habere pertimesceret, quinimo palam assereret, quod Papa quidem Bohemiæ Regem anathemate percellere potuerit, nullatenus tamen ejus Regnum, utpote quod omnino a Cæsarea Majestate sua dependet, aliis tradendi potestatem habuerit. His subjungit Ferrariensis: Germani Principes privati adducti periculis idem cum Cæsare sentiunt, & Podiebracium odio quidem habent, eumque Regno privari cupiunt; Ast cum ob privata sua commoda mutuis dissensionibus inter se collidantur, parumque Cæsari sint affecti, ideo singuli Bohemiæ Regi adulantur; verentur enim, ne ille sese cuidam factioni adjungens, adversam bello opprimat.

§. XV.

(\*) Spondanus habet: *REX POLONIÆ*, quod & *Historiæ veritati magis consonum est.*



## §. XV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1467.*Bellum Florentinorum in Italia.*

Interim Italia gravibus pariter tumulti-  
 bus agitabatur, postquam enim Cos-  
 mas Medicæus Anno post Christum na-  
 tum millesimo quadringentesimo quarto  
 e vivis excefferat, de successione gravis  
 orta est contentio. Equidem Petrus  
 Cosmæ filius omnium honorum hæres  
 erat, nihilominus Lucas Pittus ex nobi-  
 lissimo Florentinorum genere ortus haud  
 exiguam hæreditatis portionem sibi ven-  
 dicare moliebatur. Hanc ob rem tam  
 acriter exarsere contendentium studia,  
 ut ambo amicos, quorum auxilio jus  
 suum firmarent, sibi conciliare niteren-  
 tur, quinimo, ut suam quisque factionem  
 potentiolem redderet, exterorum quo-  
 que Principum opem implorabant. Pe-  
 trus cum Galeatio novo Mediola-  
 nensium Duce, Lucas autem cum Borsio  
 Mutinensi Duce armorum societatem ini-  
 bat. Cum vero Petrus quidem divitiis  
 abundaret, populo tamen minus acce-  
 ptus esset; hinc sparso rumore, quod  
 Pittum inter & Petrum quædam con-  
 cordiæ leges fuerint sancitæ, præcipui  
 Reipublicæ Proceres hujus rei fama per-  
 territi urbe excedebant, & Veneti exer-  
 citus Ducem rogabant, ut sese eis adjun-  
 geret,

Platin. in  
Paul II.Sabell. 10.  
Enn. 6.  
Papiens.  
com. lib. 3.  
p. 4.



Sæcul. XV.  
A.C. 1467. geret, simulque cum illis in Petri ruinam conspiraret. Annuit Procerum votis Venetorum Respublica. Verum Florentini, qui adhucdum Petro Medicæo additi erant, vicissim exercitus sui Ducem creabant Fridericum, Virum animi magnitudine, ac rei militaris scientia præstantissimum. Nihilominus ingens ille armorum apparatus ferme in irritum cecidit; tota enim ætas nonnisi velitationibus, & quarumdam urbium expugnationibus transigebatur; demum vero totius belli summa ad pugnam in Bononiensi agro commissam redigebatur, ubi tamen, cui victoria cesserit, incertum erat, atque ambo exercitus confecto prælio in hyberna dimittebantur.

## §. XVI.

*Turbæ in regno Castellæ.*

**N**ec minoribus turbis exagitabatur Henricus Castellæ Rex; Hic datis ad Pontificem literis querebatur, quod quidam Episcopi in ejus regno sese rebellibus adjungerent; alii vero omnino præcipui seditionis auctores essent; quapropter eos Sede sua moveri, Proceres vero regni, ut illis metum incuteret, anathemate feriri postulabat. His querelis permotus Pontifex, Stephanum Venerium Legionensem Episcopum in Castellam



stellam Legatum decrevit; cum vero ille a seditionis Proceribus suo hortatu nihil impetrare posset, eos usu Sacrorum interdixit. Hi ab hac sententia ad proximum Concillum provocarunt, palamque asserere non dubitarunt, Pontificis haud esse de Reipublicæ negotiis statuere. Eo tandem temeritatis, ac protervis prolapsi sunt, ut Regem ad propudiosas, ac Regiæ suæ Majestatis indignas pacis condiciones compellerent. Hic tamen innata ignavia sua atrocius in se suorum concitavit odium, ex altera vero parte Regina ob vitæ suæ licentiam pessime rebus consuluit. Rex itaque tot malis oppressus succubuit, atque alienata quodammodo mente, decem tantummodo equitibus stipatus, ad Placentiæ Comitem secessit, ac in urbis arce, quæ eidem Comiti parebat, quatuor omnino menses vix non rationis expertus hæsit.

## §. XVII.

*Bellum a Gastone Fuxi Comite pro Navarra in Regem Angliæ motum.*

Joannes Arragonius, Catalanis vix non penitus coercitis, novo bello non minus gravi, quam periculoso involvebatur. Postquam enim Carolus ejus Filius e

*Mariana hist. Hisp. l. 24.*

vivis



**Sæcul. XV.** vivis excefferat, Gasto Fuxi Comes, qui  
**A C 1467.** Eleonoram defuncti Principis sororem  
 sibi desponsaverat, de successionis jure  
 in Navarræ Regnum contendere cæpit,  
 caussatus, Arragoniæ Regi nonnisi uten-  
 di, fruendique jus tamdiu competere,  
 quamdiu conjux ejus vita potiretur.  
 Hic itaque cum Bellomontanensium fa-  
 ctione foedus iniit, armisque jus suum  
 persequi statuit, necnon copias sibi a Bel-  
 lomontii Comitibus submissas in aciem  
 eduxit, pluresque urbes, ac præcipue  
 Pompejopolim in suam potestatem rede-  
 git. Joannes tum Cataloniæ agebat; u-  
 bi vero prosperos Gastonis Fuxi suc-  
 cessus edocebatur, ad Navarræ Regnum  
 totum exercitus sui robur admovit, ac  
 Grammontensibus, qui Bellomontanen-  
 ses plusquam vatiniانو odio insectaban-  
 tur, sese adjunxit; Horum ope suffultus,  
 Gastonem ad tantas redegit angustias,  
 ut concordiæ legibus subscribere com-  
 pelleretur. Præcipua vero hujus pacis  
 conditione datum est Joanni, ut, quam-  
 diu in vivis ageret, Navarræ Regno frue-  
 retur; post ejus obitum vero Eleonora i-  
 psius Filia succederet, exclusis secundi  
 connubii liberis. Hæc pacta exiguo post  
 tempore a regni Proceribus rata ha-  
 bebantur.



## §. XVIII.

*Antonii de Roselis obitus.*Sæcul. XV.  
A C 1467.

Hoc anno Antonius de Roselis Juris-  
 prudentiæ Doctor Aretii ortus Pa-  
 tavii mortalitatem exiit. Hunc Euge-  
 nius IV. Papa Legatum ad Basileense  
 Concilium decrevit, Fridericus vero Im-  
 perator a secretis habuit. Inter præcla-  
 ra ejusdem opera palmam obtinet tracta-  
 tus de Monarchia, qui quæstionibus  
 de potestate Sacra & profana mire de-  
 cisus uberrimus est. Discutit quoque,  
 an summo Pontifici duplicis gladii pote-  
 stas competat, & quanta sit Conciliorum  
 auctoritas, ac Imperatoris & Papæ po-  
 tentia. Tenet ubique methodum Juris  
 Ecclesiastici Scriptoribus usitatam. Non  
 desunt, qui censent, Antonium ex tæ-  
 dio purpuræ sibi a Papa denegatæ hunc  
 tractatum elucubrasse, qui primo Vene-  
 tis literis Anno millesimo quadringente-  
 simo octogesimo tertio excusus, postea  
 secundis curis Anno supra millesimum  
 quadringentesimo octogesimo septimo im-  
 pressus est, atque illius prior tomus in-  
 fertus habetur Monarchiæ Goldstadi.  
 Exstant quoque ejusdem Scriptoris alia  
 Juris civilis opuscula in magna collectio-  
 ne tractatum juris recensita, præter  
 alios quosdam commentarios de Conci-  
 liis,

*Dionys. Si-  
 mon. Bibl.  
 hist. Auctor.  
 Juris.  
 Dupin. bibl.  
 Script. Sæ-  
 cul. XV.*



Sæcul. XV. liis, indulgentiis, usuris, & successioni-  
 A.C. 1467 bus ab intestato.

## §. XIX.

*Apologia Platonis a Bessarione  
 Cardinale edita.*

Eodem anno Bessarion Cardinalis juris publici fecit opus philosophicum, quod inscripsit: Apologiam Platonis. In ea hunc Philosophum vindicat a calumniis Georgii Trapezuntini, qui ex hisce Aristotelis (\*) verbis: *Obtuli cum ceteris duo vel tria sacrificia, ut trinam perfectionem, quæ in eis est, profiterer, evincere conabatur, quod Aristoteles ex solo lumine naturæ fidei nostræ mysterium longe sublimissimum, captuque difficillimum, seu Trinitatem personarum in sola unitate essentiae cognoverit, proin si in hac fide juxta morum præcepta vitam suam trans-egit, salutem consequi potuerit. Igitur Bessarion ex plurimorum Ecclesiæ Patrum*

(\*) Allegata verba in Aristotele non invenimus; libro tamen primo de cælo text. 2. hæc habet: *Ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omnia, hæc autem eum, qui Trinitatis est; quapropter ad Sacrificia Deorum hoc utimur numero; duo enim ambo quidem dicimus, & duos ambos, omnes autem de tribus hanc appellationibus dicimus primum.*



trum, & S. Thomæ testimoniis compro-  
bat, impium esse dicere, quod Aristoteles  
solo naturæ ductu integram, perfectam  
que sanctissimæ Trinitatis cognitionem  
assequi valuerit, eamque doctrinam di-  
fertis verbis ab Apostolo rejici asseruit,  
dum dicit: *loquimur Dei sapientiam, quam*  
*nemo Principum hujus sæculi cognovit.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

1. ad Cor.  
cap. 2. v. 7.

## §. XX.

*Bellum Matthiæ Hungariæ Regis  
adversus Bohemum.*

Jam supra attulimus rationes, ob quas  
Matthias Hungariæ Rex Bohemiæ  
coronam acceptare aliquamdiu hæsitave-  
rat, nunc vero petentium Bohemorum  
votis cessit, potissimum ipsius Cæsaris  
impulsu permotus, quem cum olim præ-  
cipuum experiretur æmulum, jam ipsum  
ad capeffendas Regni habenas stimulos  
subdentem habebat. Ast perdifficilis &  
lubrica adhuc erat rei exequendæ condi-  
tio; agendum enim adversus Podiebra-  
cium Virum summa rei militaris scientia  
spectatissimum, veteranis militibus in-  
structum, & plurimorum Principum sup-  
petiis adjutum. Nihilominus Matthias  
rem aggreditur, eo quod a Turcarum metu  
ferme vacuus esset, cum eorum exerci-  
tus in Asiam rediret, & Pannoniæ infe-  
rioris Gubernator Mahometis nomine in-

Bonfin. 4.  
dec. in fine &  
dec. 2.  
Papiens.  
epist. 313.

*Hist. Eccles. Tom. XXIX. S. ducias*



Sæcul. XV.  
A.C. 1468. ducias peteret. Præterea amplis validi  
auxilii pollicitationibus ad bellum exci-  
tabatur. Igitur hisce rationum momen-  
tis expugnatus, copias suas in Moraviam  
ducit, comitante eum Ferrariensi Episco-  
po Sedis Apostolicæ Legato, qui cunctos  
hæreticis opem laturos publica sententia  
diris devovit. Ibidem Podiebracius ca-  
stra metabatur, cum exercitu, qui Mat-  
thiæ copias saltem numero æquabat.  
Eo tempore Hungariæ Rex nonnisi vige-  
simum septimum ætatis suæ annum atti-  
gerat; Podiebracius vero jamjam sexa-  
gesimum expleverat, proin eum longa  
vita, ac diuturnus armorum usus in plu-  
rimis rebus mire erudiebat.

## §. XXI.

*Colloquium utriusque Regis; actum  
de pace.*

*Bonfin. ibid.*  
*Papiens. ead. epist.* Jamjam in conspectu utraque acies erat,  
ambo tamen exercitus proelii disci-  
men declinare videbantur, motisque  
utrinque castris in diversas abiere partes.  
Matthias tamen iterum, iterumque in  
hostis sui ditiones populabundus excur-  
rit, ac nonnullas urbes qua vi, qua de-  
dicatione occupavit; tandem vero utrius-  
que copiis denuo ad eundem locum con-  
currentibus Brunæ, quæ est Moraviæ  
caput, ambo Reges colloquium inierunt,  
ubi



ubi Podiebracius exiguam Matthiæ fidelitatem, ac violatum foedus incusans eidem dixit, promptissimum dirimendæ litis medium esse, si cum eo in remoto quodam loco ad singulare certamen descenderet; hac enim via subditorum sanguini utrinque parceretur. Ad hæc Matthias respondit: bellum nonnisi pro tuenda fide suscepi, proin certamen in angulis inire nequaquam mihi animus est; Principem enim decet armatum in aperto campo decertare; hinc si Podiebracius Princeps est, præsentem ac inspectante toto exercitu equestri certamine congregiatur, litemque finiat. Ast cum Podiebracius hanc conditionem minime acceptaret, ambo de concordie pactis ac pace ineunda colloquium habuerunt, demum vero in mediis castris simul prandium sumpserunt, quo finito ad sua redierunt; eoquod litem amice componere haud possent; quocirca Matthias appropinquante hyeme exercitum suum in Moravia reliquit, ipse autem in Hungariam reversus est. Hac de re exstat epistola Cardinalis Papiensis scripta ad summum Pontificem, & Sedis Apostolicæ Legatum, qui apud Matthiam agebat. Nihilominus inter hos Reges pax omnino sancita videtur, quamvis illa haud diuturna esset, eoquod anno sequenti bellum redintegratum legamus.

S 2

§. XXII.

Sæcul. XV.  
A.C 1468.



Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

§. XXII.

*Pax inter Principes Italiæ per  
Pontificem conciliata.*

Paulus II. licet plurima undique opponerentur obstacula, ut tamen pacem inter Italiæ Principes componeret, assiduam impendit operam, ac tandem superatis ferme innumeris difficultatibus dissidentes feliciter conciliavit. Lætitiæ ubertas, quam inde concepit, haud æquius æstimari poterit, quam ponderata laborum mole, cui ut rem perficeret succumbere debuit. Itaque ut pro tanto beneficio meritam, debitamque Deo persolveret gratiam, in Die Ascensionis Domini hæc anno Romæ augustiori pompa sacrificium obtulit, ac decantato versiculo *Agnus Dei* non modo Cardinales sibi ad aram ministrantes, sed ceteros omnes cunctosque Principum Legatos ad osculum pacis admisit; quo ritu expleto Dominicus Brixienfis Episcopus ornatissimum sermonem de pace habuit, omnesque Principes ad bellum Turcicum ferventer adhortatus est; ut enim sacra hæc militia promoveretur, tanto studio Pontifex pacem conciliare satagebat.

*Papiens.  
Com. lib. 4.  
Et epist. 295.  
Platin. in  
Paul. II.*

§. XXIII.



## §. XXIII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.*De officio Pontificum & Cardinalium  
juxta Papiensem.*

Ad idem tempus revocatur quidam tractatus seu epistola Cardinalis Papiensis ad Cardinalem Mantuanum scripta *Papiens. epist. 280.*  
*de officio summorum Pontificum & Cardinalium in Republica Christiana rite administranda.* Præprimis ostendit, Pontifices in gravioribus causis Cardinalium consensum exquirere, illos vero juxta justitiæ ac veritatis præscripta consilium suum dare obstrictos esse. Cardinales, inquit, Pontificis Consilarii sunt, non Magistri, eorumque monita dicuntur vota, non voluntates, ideoque in spiritu pacis non imperiose sua proponant consilia, nec ægre ferant, si non acceptentur eorum placita; persuasum enim illis sit, meliora quandoque aliorum esse judicia. Cum vero de agendi ratione tractat, quam summi Pontifices tenent erga Principes, his exprobat, quod nonnunquam indigna, & iniqua a Pontificibus exigant; minantur, cum postulant, & cum non impetrant, irascuntur, quos tamen vel ea postulasse pudere deberet. Principibus, prosequitur Cardinalis, honor etiam dum injusta petunt, habendus est, non autem quæcunque postulant, aut æqua reputant,



Sæcul. XV. tant, illis concedenda. Additque, ac  
A.C. 1468. cidere persæpe, ut maxime rogent ea,  
 quæ minime concedi cupiunt; quippe  
 frequenter suas interponunt preces aut  
 amicis obsequendi studio, aut petentium  
 importunitatem hac ratione redimen-  
 di artificio; hujus rei specimen exhibet  
 Papiensis in Carolo VII. Francorum Re-  
 ge, qui ab Eugenio IV. enixe petebat, ut  
 juvenem quemdam inexpertum, ac legi-  
 tima ætate destitutum Metropolitanæ  
 Ecclesiæ præficeret, idque assecutus fa-  
 ctum damnavit; cum vero Regi objecta-  
 rent nonnulli, hunc ad ejus preces pro-  
 motum fuisse: *Intercessi, respondit, sed*  
*non credidi concessum hoc iri;* sic nempe  
 semetipsum extortæ postulationis, Eu-  
 genium vero nimis facilitatis inculabat.

## §. XXIV.

*De Itinere Imperatoris ad Papam.*

Cum die prima Decembris nuntiatum  
 esset summo Pontifici, quod Frideri-  
 cus Imperator, ut voto sacræ peregrina-  
 tionis ad limina Apostolorum satisfaceret,  
 hoc anno in Italiam tenderet, totus in eo  
 erat Pontifex, ut Cæsarem Majestate  
 sua dignis honoribus exciperet. Quare  
 quemdam ex iis, quos ab epistolis habe-  
 bat, quam longissime ire obviam jussit,  
 dato negotio, ut crebris nuntiis de ra-  
 tione



tionē itineris, & moræ, necnon de tem-<sup>secul. XV.</sup>  
 pore, quo Imperator proxime Romam <sup>A.C. 1468.</sup>  
 accederet, Papam solerter edoceret.  
 Præterea quatuor ex diversis Nationibus  
 designabat Episcopos, iudicesque Rotæ  
 duos, totidemque sanctioris Senatus  
 (Consistorium vocant) Advocatos, qui  
 præfatum Secretarium sequerentur. De-  
 nique selegit Cardinales, Guilielmum  
 Estoutevillam natione Gallum, Ostiensem  
 Episcopum, & Franciscum Piccolomi-  
 næum Pii II. Nepotem Cardinalem Dia-  
 conum, qui ad secundum ab urbe lapi-  
 dem adventanti Friderico obviam pro-  
 grederentur. Cum vero Imperator pri-  
 vatæ rei causâ Romam adiisset, alia ob-  
 sequiorum forma excipi debuit, quam si  
 coronandus advenisset, ut observat Pa-  
 piensis Cardinalis.

## §. XXV.

*Imperator Romam ingressus, atque  
 receptus.*

Attamen Fridericus ipsa Dominicæ Na-  
 tivitatis nocte tam sero Romam ingre-  
 ditur, ut jamjam Pontifex sacrum hujus fe-  
 sti matutinum celebrare inchoasset; nihilo-  
 minus a Papa ad osculum pedis, manus,  
 & oris admissus, in proxima sede Ponti-  
 ficem inter & Cardinales collocatus est.  
 Peracta re divina, duo Cardinales Dia-  
 cono

*Papiens.  
 Comment.*



Sæcul. XV. coni Cæsarem ad Altare deducunt, ad  
A.C. 1468. cujus primum gradum ille in genua pro-  
 volutus, tamdiu perseveravit orans, do-  
 nec votum, quod nuncupaverat, absol-  
 veret, & sacræ preces super eum a Pon-  
 tifice recitarentur. Inde in cubiculum,  
 ut quieti indulgeret, deducitur, sed pau-  
 lo ante diluculum rediens in Ecclesiam,  
 adfuit alteri missæ, quæ longe augustiori  
 pompa, ac prior celebrata est; primum  
 enim Sacrificium ob Cæsareæ suæ Maje-  
 statis adventum nonnihil celerius absolve-  
 batur. Demum Paulus II. ensen de more  
 sacratum Imperatori donabat, quem ille  
 vagina eductum armigero adstanti tradi-  
 dit. Postmodum toga linea, ac pluviali  
 indutus, inter duos Cardinales Diaconos  
 Evangelium lectionis septimæ decanta-  
 vit, homiliam, quæ sequitur, alio profe-  
 quente. Mane tertii sacrificii tempore  
 Pontifex sacris operabatur, ubi S. Ho-  
 stiaë partem Imperatori porrexit. Finita  
 demum Missa, & sancto Sudario ad ve-  
 nerationem populi exposito, Pontifex  
 plebi facta cruce bene precabatur, eidem-  
 que plenam poenarum condonationem  
 indulgebat.

## §. XXVI.

*Consultatio cum Cæsare de bello  
 Turcico.*

**I**mperator quarto post die sacro Senatui  
 assiste-



assistebat & per quemdam Episcopum, qui <sup>saecul. XV.</sup>  
 eum comitabatur, ibidem Patribus ex- <sup>A.C. 1468.</sup>  
 posuit, quod hoc iter suscepisset, par-  
 tim ut voto a se nuncupato satisfaceret,  
 partim ut media exquireret, quibus sa-  
 luti Christianorum adversus Turcas pro-  
 spiceret. His Papa respondit: Nos quo-  
 que persaepe non minus ac Praedecesso-  
 res nostri plurimum hoc in negotio, licet  
 incassum laboravimus; cum igitur qua  
 ratione tanti moliminis opus feliciter ad  
 exitum deducere valeamus, nullum ultra  
 nobis occurrat consilium, si Caesarea sua  
 Majestas aliquod remedium in promptu  
 habeat, illud ut nobis exponat, rogamus.  
 Hanc in rem Imperator Hungariae &  
 Cypri Regum, necnon & Venetorum  
 Legatos in consilium vocabat, demum  
 vero his verbis sententiam suam profere-  
 bat: in tanta consiliorum inopia nullum  
 magis opportunum censemus remedium,  
 quam ut Constantiae, quae Germaniae  
 civitas est Italiae sat propinqua, conven-  
 tus Principum indicatur, ad hunc Pon-  
 tifex, ac nos quoque accedemus, necnon  
 reliquos convocabimus. Verum Ponti-  
 fici minus arrisit hujus urbis nominatio;  
 terrebarur enim exemplo eorum, quae  
 nuper Constantiae adversus Sedis Apo-  
 stolicae auctoritatem fuere attentata.  
 Praeterea post varias consultationes ultro-  
 citroque habitas, tandem totum nego-  
 tium



Sæcul. XV. A.C. 1468. tium ad duo capita reducebatur. Primo, nomine Pontificis atque Imperatoris literæ darentur ad Principes, quibus ad Calendas Novembris anni proximi Legatos suos Romam mittere rogarentur, qui de ratione tuendæ fidei cum sua sanctitate agerent. Secundo, Venetis diutino Turcarum bello exhaustis decimæ Clericorum, Hebræorum vigesimæ & Sæcularium trigessimæ in ditione eorum concederentur juxta normam, qua olim ex decreto Mantuano pro tota Italia ejusmodi exactiones fuerunt indictæ.

## §. XXVII.

*Imperator Roma in Germaniam reversus.*

*Papiens.*  
*Comment l. 7*  
*Platin. in*  
*vit. Paul. II.*  
*Krantz. l. 13*  
*Wandal. I.*

Verum nec felicior fuit hujus mediū quam priorum successus. Unde haud multo post Imperator, cum solidos septemdecim dies Romæ hæsisset, in Germaniam reversus est. Hunc Papa copiosis muneribus, gratiisque spiritualibus auxit, atque in reditu per ditionem Pontificiam semper lautissime habuit unacum toto ejus comitatu, qui plusquam sexcentis Equitibus constabat. Ceterum Pontifex in hac occasione magnificentia nemini secundus videri voluit, eoquod sibi persuasum haberet, quod Cæsar adversus



sus Germanorum factiones Sedem Apostolicam constanter propugnasset.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

Hæc Papiensis, qui cunctis præfens aderat, totiusque itineris relationem ad posteros transmisit. Platina quoque refert, Pontificem ad Imperatoris adventum, *equitum peditumque suorum magnam partem in urbem advocasse, eoquod vereretur, ne qui tumultus præfente Imperatore a populo Romano excitarentur, quamvis ille alioquin exiguo comitatu stipatus a nemine timeretur, imo nequidem ei debitus honor haberetur.* Hanc ob rem Krantzius asseruit, quod populo Cæsarem adhuc in vivis esse, novum, mirumque acciderit, cum tamen illum jamjam fatis functum crederet, eoquod nullo hucusque heroico facinore se vivum ostendisset. (\*)

#### §. XXVIII.

(\*) Observes velim, non Platinam, sed Continuatores de suo adjecisse hæc verba: *quamvis ille &c.* ut autem animi sui erga Augustissimam Domum Austriacam minus propensi testem produceret, Krantzius prorsus inepte allegat; Verum non solus ille tanti ponderis Scriptor est, ut pium juxta ac gloriosum Cæsarem, quem tot ora celebrant, velut ignavia mortuum laceffere audeat, præcipue cum calumniæ suæ testes nonnisi vulgi rumores adducat, quis vero ignorat, plebi nil magis familiare esse, quam



Secul. XV.  
A.C. 1468.

§. XXVIII.

*Cardinalis de Turrecremata obitus.*

Hoc anno die vigesima octava Septembris Cardinalis de Turrecremata obiit, annos natus octoginta. Hoc nomen fortiebatur a nativitate suæ loco, qui Hispana lingua *Torquemado*, ac latino idiomate *Turriscremata* dicitur, atque in Palenciensi Diœcesi situs est. Is ordinem S. Dominici in conventu Vallisoletano primum professus, singulari scientiarum laude in universitate Parisiensi claruit, atque academicis honoribus ornatus, Theologiam, atque Ecclesiasticam Jurisprudentiam publice tradidit. Dein in Hispaniam redux, haud diu ibidem morabatur, sed Anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo ab Eugenio IV. Pontifice Romam vocatus, Magister S. Palatii renuntiatus est. Decernebatur ad

quam ut illos duntaxat Principes tanquam magnanimos deprædicet, qui profuso in vulgus auro inquietorum ora obstruunt, aut crebro armorum strepitu exterorum regiones invadunt, indeque suis prædandi spem faciunt; illos econtra Principes vulgus contemnit, qui pace, ac salutaribus consiliis & legibus calamitates belli redimunt, ac patriæ incolumitati consulunt.



ad Basileense Concilium, ubi acriter contra Hussitas conflixerat, & Pontificis auctoritatem egregie tuebatur. Demum ad Florentinam Synodum accersitus, cum Marco Ephesino in arenam descendit; tandem in laboris præmium Anno Salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono ad Cardinalitiam dignitatem sub titulo S. Sixti evectus, in Franciam Legatus mittebatur, ubi Bituricensi conventui interfuit. Pluribus Legationibus decoratus, Anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo primum Gallæciensis, demum Albanensis Episcopus nominatus est, quam tamen Sedem quarto post anno cum Episcopatu Sabinensi permutavit. Plurima ingenii sui monumenta posteris reliquit, quorum tamen stylus minus limatus, barbariem, & scholasticorum atque Canonistarum sterilitatem redolet: Theologiæ, ut in Scholis traditur, ac Jurisprudentiæ disciplinas indefesso studio excoluit, omnesque utriusque scientiæ subtilitates mire affecutus est, easque ingenti facilitate in usum deduxit.

Sæcul. XV.  
A C. 1468.

§. XXIX.

*Hujus Cardinalis Opera.*

**E**o Auctore in lucem prodire, *Commentarius in decretum Gratiani,* quinque *que* *Com-Collect. Cons. P. Labbe tom. 13.*



Sæcul. XV. A.C. 1468. que tomis distinctus; *Summa de Ecclesia*  
 & ejus Auctoritate quatuor libris compre-  
 hensa; tractatus de summi Pontificis &  
 generalis Concilii potestate ad Basileensium  
 Oratorem, qui habetur in Collectione  
 Conciliorum; expositio epistolarum S. Pau-  
 li; Commentarius in Psalterium Davidis;  
 Sermones de tempore & Sanctis; Quæstio-  
 nes quodlibeticæ; tractatus de aqua benedi-  
 cta; alius de conceptione Beatissimæ Virgi-  
 nis in tres partes divisus; Commentarius  
 in regulam S. Benedicti; expositio regulæ  
 S. Brigittæ, & apologia revelationum  
 ejusdem Sanctæ; tractatus de salute ani-  
 mæ seu de fundamento fidei Catholicæ,  
 alius contra præcipuos errores Mahome-  
 tis; flores sententiarum de summi Pontifi-  
 cis auctoritate, ex S. Thoma Aquinate  
 collecti; Meditationes in imagines, quas  
 in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de-  
 pingi fecit: Dissertatio contra Græcos  
 de pane azymo, quæ itidem in Colle-  
 ctione Conciliorum invenitur, præterea  
 Trithemius alterius opusculi meminit,  
 quod quæstiones in Evangelia de Sanctis, &  
 in Dominicis complectitur.

*Trithem. de  
 Script. Eccl.*

## §. XXX.

*Societas Romæ pro elocandis paupe-  
 ribus puellis instituta.*

Joannes Turrecremata sepultus est apud  
 Domi-



Dominicanos in Ecclesia S. Mariæ supra Sæcul. XV.  
 Minervam, in qua Anno millesimo qua- A C. 1468.  
 dringentesimo sexagesimo fundavit socie-  
 tatem sub nomine *Annuntiata*, cui in-  
 cumbit, quotannis puellas inopes certa  
 pecuniæ summa nuptui tradere. Hæc  
 Congregatio postmodum in Archi-Con-  
 fraternitatem erecta adeo proventibus ex  
 fidelium Eleemosynis & piis Legatis au-  
 gebatur, ut die vigesima quinta Martii  
 in festo Annunciationis Angelicæ plus-  
 quam quadringentæ pauperes puellæ ex  
 raso panno albi coloris vestiantur, ac sin-  
 gulis præter crepitas unus florenus de-  
 tur, dotis vero nomine cuilibet sexaginta  
 scuta Romana assignentur. Hoc pium  
 opus summi Pontifices tanti faciunt, ut  
 ipsimet comitantibus eos Cardinalibus,  
 ac Romanæ nobilitatis Viris solemniter  
 equitatu ad Ecclesiam procedant, atque  
 hujus dotis syngraphas puellis propria  
 manu distribuere soleant. His quoque,  
 quæ ad sacram Monialium familiam co-  
 optari adspirant, duplo major donatur  
 portio, easque a ceteris distinguit florum  
 corona, quam in capite eo die gestant.

## §. XXXI.

*Duo Cardinales creati.*

Pontifex, ut sacri Collegii locum, qui  
 morte Joannis de Turcremata Car-  
 dinalis



Sæcul. XV. dinalis vacabat, restauraret, duos crea-  
A.C.1468. vit Cardinales. Horum primus erat Jo-  
 annes Baptista Zeno, patria Venetus,  
 summi Pontificis Nepos, & Vicentinus  
 Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S.  
 Mariæ in Porticu, postea Presbyter S.  
 Anastasiæ, & Episcopus Tusculanus.  
 Alter erat Joannes Michaelius, pariter  
 Venetus, & ejusdem Pontificis Nepos,  
 primum Diaconus tit. S. Luciae, postmo-  
 dum Cardinalis Presbyter tit. S. Angeli,  
 necnon Albanensis, Portuensis, & Pata-  
 vinæ Ecclesiæ Episcopus. Anno se-  
 quenti Petrum Gonzalez de Mendoza Se-  
 guentæ Præfulem, postea Hispalis Ar-  
 chiepiscopum ad preces Joannis Arrago-  
 niæ Regis ad purpuram promovit.

## §. XXXII.

*Seditio Varvicensis in Anglia.*

**I**n Anglia Varvicensis Comes continuo  
 quidem seditionem in Eduardum mo-  
 liebatur, ea tamen nonnisi anno postero-  
 ri in apertas erupit flammæ. Præpri-  
 mis ambos fratres suos, Montis-acuti  
 Marchionem, & Eboracensem Archiepi-  
 scopum factioni aggregare nitebatur.  
 Ægre admodum Marchio sollicitanti Co-  
 miti cessit, majori tamen promptitudine  
 Clarentiæ Dux Regis frater se perduel-  
 lium societati totum addixit: unico sedu-  
 ctus



ctus colloquio, quod cum Varvicensi ha-  
 buit. Igitur uterque communi suffragio  
 conspirabant, ut Eduardus periret, &  
 Henricus Regno restitueretur: Ut vero  
 connubiali vinculo sancitum foedus ar-  
 ctius constringeretur, nuptias Ducem in-  
 ter & Comitis Filiam, certe nulli alteri  
 in tota Anglia opum abundantia secun-  
 dam, decernunt.

Ergo Dux æque, ac Comes Calesium  
 petunt, ut contracto ibidem matrimonio,  
 tutius Gallorum auxilia præstolari pos-  
 sent, & adverso casu ad fugæ necessita-  
 tem compellente ibidem asylum habere  
 valerent; interea vero Archiepiscopus  
 Eboracensis, & Montis-acuti Marchio  
 eo etiam sese contulerant, ut suscitata  
 seditione bellum civile in hac quoque re-  
 gione accenderent.

## §. XXXIII.

*Copiæ Eduardi cæsæ.*

Jamjam haud procul Eboraco urbe se-  
 ditiosi ultra quindecim armatorum  
 millia contrahebant. Eduardus com-  
 perto horum adventu confestim Gui-  
 lielmo Herbert negotium dedit, ut cum  
 omnibus, quantum posset, copiis in unum  
 collectis, obviam rebellibus iret. Hic in  
 hostium conspectum veniens, Banburi-  
 gæ prælio decertat, infausto tamen  
*Hist. Eccles. Tom. XXIX. T Mar-*



Sæcul. XV.  
A.C. 1468  
Marte; quippe cum seditiosi uno ore vociferarentur: *Vivat Varvicensis Comes*, Herberti milites infelici errore Varvicensem Comitem cum tota exercitus sui vi pugnæ præsentem arbitrabantur, unde panico terrore perculsi, una omnes præcipiti fuga, totoque pedum studio elabuntur, desideratis suorum quinque millibus, ac pene innumeris bello captis. Hos inter ipse Herbertus, ejusque frater numerabantur, qui capite plexi vitam finierunt. Præterea nonnullæ copiæ a reliquo Vitricis exercitus agmine ex conducto segregatæ Graftonii in Comitem de Rivers Reginæ Patrem improvise impetu irruunt, ac eidem, ejusque filio caput obtruncant. Hac victoria clarus Varvicensis in Angliam rediit, ut novis juxta ac præclaris armorum successibus annum proximum magis adhuc celebrem redderet.

## §. XXXIV.

*Castellanorum rebellium Legatio ad Papam.*

*Marian. l. 23*  
*c. 11. & 13.*

Nec in Castellæ Regno seditiosi turbas movere cessabant; quapropter summus Pontifex novam ad eos legationem decernebat, ac rebelles secunda jam vice excommunicationis sententia percellere statuebat. Hi tamen inde minime territi,  
con-



confestim Oratores Romam ablegant, qui perduellionis culpam diluerent. Verum eis non prius facta est ad urbem accedendi potestas, quam jurato promisissent, quod Alphonso Henrici Regis fratri Regis titulum non attribuerent. Annuunt Oratores, quibus Papa in conspectum suum admissis plurima crimina objicit, atque eorum rebellionem in legitimum Regem verbis gravibus exprobrat, mandatque, ut Pontificis nomine seditiosis denunciarent, quod excommunicationem ipso facto incurrissent, nec ullam salutis spem reliquam haberent, nisi ad saniora consilia redirent. His addidit, quod Alphonfus alienæ culpæ reum se fecerit, atque ideo immatura morte criminum suorum poenas daturus, infirmitate, qua laborat, brevi decessurus esset; ex ejus autem obitu rebellibus novos tumultus impendere præfagiebat, si adhucdum eum pro Rege habere perseveraverint. Hoc vaticinium paulo post fuit adimpletum: Alphonfus enim juvenis, cum Tolletanam urbem, quam illius Præfectus in Henrici Regis potestatem revocaverat, obsidere pararet, in itinere repentino morbo opprimebatur, ac die quinta Junii, seu peste seu veneno, (varia Scriptorum est opinio) nonnisi sexdecim annos natus e vivis excessit.

Sæcul. XV.  
A.C 1468.



Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

## §. XXXV.

*De Morte Alphonfi Fratris Castellæ Regis.*

Alphonfi obitus multorum animos ad Henrici obsequium reduxit; Reliqui vero, ut esset, cujus nomine ipsi regnarent, Isabellæ Henrici Sorori Reginae nomen & insignia Regni deferenda censuerunt. Cum vero illa oblatam dignitatem recusaret, hi cum suo Rege legitimo concordiaë foedus inierunt, his conceptum legibus: I. Isabella Regni hæres renunciatur, nulli tamen nubendi facultatem habeat, nisi Regis fratris sui consensus accederet. II. Regina indulgente summo Pontifice repudietur, deum vero Regno proscribatur unacum Joanna ejus filia, licet hæc, cum in lucem ederetur, velut legitima a Regni Ordinibus habita fuisset. III. Denique, conjuratis præteritorum venia detur, eisque cuncta bona, atque honores restituantur. Hæc tamen leges nonnullis Proceribus minime placebant; unde Joannam, quam in sua potestate habebant, velut Reginam suam venerari maluerunt.

§. XXXVI.



## §. XXXVI.

*Res gestæ Calabriae Ducis  
in Catalonia.*Sæcul. XV.  
A C. 1468.

Nec magis pacata erat Catalonia; cum enim Joannes Calabriae Dux Renati Andegavensis Filius animi sui fortitudine præclarus esset, atque Andegavensis familia in Arragoniæ Regnum jus habere contenderet, ideo illum Cataloni jam anno priori in Regem suum nominabant, insuperhabita Regis sententia, & concordiae pactis, quæ cum Castellæ Rege sanxerunt. Joannes igitur horum auxilio fretus huic Regno bellum intulit, sed fortunam modo prosperam, modo adversam experiebatur; quippe Ludovici XI. auxiliariis copiis auctus, sub primis belli auspiciis victoriam reportabat, quæ tamen haud diuturna fuit; urbem enim Gerundam bina vice obsedit, sed iterum iterumque obsidionem solvere coactus est. Præterea Ferdinandus Arragoniæ Rex, ut Regnum pleniori cum auctoritate administraret, in Siciliae Regem proclamabatur; eoquod Pater ejus oculorum usu destitutus esset, qui tamen postea septuagenario major amissum lumen recepit arte cujusdam Judæi, qui eidem albuginem oculorum acu deterfit. Nihilominus Calabriae Dux sinistro hoc rerum concursu minime

*Marian.*  
l. 23. c. 12.



Sæcul. XV. A.C. 1468. territus, jus suum persequi statuit, ac reapse hostilem exercitum diuturno bello fatigasset; nisi morbo correptus Anno Salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo mortalitatem exuisset, ejus tamen obitu nullatenus conjuratio sedata fuit.

## §. XXXVII.

*Ludovici XI. bellum in Britannia.*

*Argent.  
hisi. Britan.*

*Chantocé.*

Cum Burgundiæ Dux belli flammas adversus Leodienses intra breve admodum tempus restingueret, Ludovicus Galliarum Rex rursus in solitis fraudibus suis consilium quærere compellebatur; hanc in rem inter Carolum Bituricensem fratrem suum, & Britanniae Ducem dissidia feminare moliebatur. Igitur suas copias, quas in Normannia tenebat, Britanniam invadere jubet, urbesque Cantoceam, & Angenisium capit, ac demum hostilem hanc incursionem sequenti obtentu honestare conatur: Britanniae Dux connubio sibi junctam habebat Regis Scotiæ Filiam; Hæc tamen inconstantem mariti sui animum sibi soli integre devincire haud poterat; quapropter Dux furtivo amore Antoniam de Mailleze Villequerii conjugem deperibat. Eo tempore Taneguyus Castellius supremum Ducalis Palatii Magistrum agebat, hacque ex causa dignitatis suæ auctoritati datum esse existi-



existimabat, ut ea, quæ fidelem decet Sæcul. XV.  
 subditum, submissione Duci suo ob ocu- A.C. 1468.  
 los poneret mala prorsus funesta, quæ  
 ex effræni hac vitæ licentia sibi accerferet, simulque addidit, jam populum de publico Principis sui adulterio palam conqueri, Deum vero hujus criminis ultorem jamjam pœnas repetere; cum eum prole mascula destituisset, non sine maximo patriæ detrimento; inde enim futurum, ut illius subditi, cum præter eum in Britannia nullus e stirpe sua hæres superstes esset, ipso defuncto exteri Principis imperio subesse compellerentur, cum tamen Britonnes illo abhinc tempore, quo Romanorum jugum excusserant, semper indigenis Principibus paruisent.

## §. XXXVIII.

*Taneguius Castellius a Galliarum Rege sollicitatus, ac relicta Britannia in Franciam profugus.*

Hæc Taneguii libertas tantopere Ducem offendit, ut eum ad Castellum suum secedere juberet. Equidem Villequerii conjux nil intentatum relinquebat, ut eidem redeundi facultatem a Duce obtineret; timebat enim, ne obscæni sui amores palam fierent. Ast Taneguyus flecti nescius redire recusat: Ludovicus vero Galliarum Rex, cum nihil



Sæcul. XV. A. C. 1468. solemnius haberet, quam ut ab hostibus  
 suis Viros meritis conspicuos averteret,  
 Tanguyum ad suas partes traxit, pollici-  
 tus, se honorum, quæ in Britannia ami-  
 sisset, damnum præter amplissimam pen-  
 sionem Ruscinonensi etiam, atque Cer-  
 danensi Præfecturis compensaturum.  
 Tanguyus Regis sponsonem acceptat, ac  
 Patriæ suæ valedicit.

*Cerdaigne*

§. XXXIX.

*Pax Gallum inter & Britannum.*

Nobiles Britanni, cum per injuriam  
 Taneguyo illatam proprium ho-  
 norem læsum arbitrarentur, palam  
 contra Ducem querebantur. Ludovicus  
 Rex horum indignationem in rem suam  
 vertere constituit, suumque exercitum in  
 Britanniam misit. Nihil propius vi-  
 debatur esse, quam ut Dux omnes ditio-  
 nes suas amitteret; adeo enim ignava  
 manu sui eum subditi tuebantur, ut tan-  
 dem pacem exorare compelleretur. Pro-  
 ponuntur concordiae pacta, quibus Fran-  
 ciæ Rex eo promptius assenserat, quo  
 certius edocebatur, Burgundiæ Ducem  
 in Britanni auxilium magnis itineribus  
 accurrere. Igitur Ludovicus Calabriae  
 Ducem quantocius Angemium ablegat,  
 ut cum Guilielmo Calvinio Britanniae  
 Cancellario de pacis conditionibus age-  
 ret.



ret. Ergo assentientibus illis apud Nan-  
netes die septima decima Septembris  
hunc in modum pacis articuli perferi-  
buntur: Britannus a foedere cum Bur-  
gundiæ Duce innito discedet; Calabriæ  
Dux, & Connestabilis ad dirimendam  
Bituricensis Ducis causam arbitri da-  
buntur ac denique Lescunus Cadomum,  
& Abrincam urbes præfixo tempore  
Regi restituet.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

## §. XL.

*Burgundiæ Dux Peronnæ a Rege  
salutatus.*

Burgundiæ Dux hujus foederis novita-  
te tantopere commovebatur, ut frau-  
dem subesse ratus Tabellarium, qui rei  
gestæ nuntium perfererat, velut homi-  
nem dolose subornatum suspensio ple-  
ctere decerneret. Ubi vero postmodum  
res certis argumentis comprobata nullum  
dubitandi locum relinquebat, etiam ipse  
Dux pacis conditionibus annuit; Offe-  
rebat autem ei Franciæ Rex centum vi-  
ginti aureorum millia in compensatio-  
nem expensarum, quas in conscribendis  
militibus Britanno in auxilium missis  
impenderat; hujus quoque summæ me-  
diam partem mox numerandam Rex  
pollicebatur. Nec tamen Dux hæc Re-  
gis promissa acceptasset, nisi fama ad au-  
res

Commin. lib.

2. c. 6.

Gaguin. l. 8.



Sæcul. XV. res ejus fuisset perlata, quod Leodien-  
A.C. 1468. ses Ducis absentiam, bellique, quo cum  
 Francia implicitus erat, opportunitatem  
 in rem suam verterent, ac rursus seditio-  
 nem molirentur. Igitur concordiam i-  
 nire consultius fore arbitratur, atque  
 accepta pecunia ei promissa cum Ludo-  
 vico Rege colloquium Peronnæ habuit,  
 quo se etiam Rex contulerat, nullo sa-  
 tellite stipatus, solisque securitatis literis  
 sibi a Duce datis munitus. Neminem  
 quoque itineris socium habebat præter  
 Balvem Cardinalem, Borbonii Ducem,  
 & Comitem S. Pauli, unacum duobus  
 vel tribus Proceribus. Volebat enim  
 Rex exiguo hoc comitatu Duci osten-  
 dere, quod ad eum solo amicitiae præsi-  
 dio tutus accederet. Vicissim vero Dux  
 Regem summis honoribus excepit, eique  
 palatium in ipsa urbe assignavit. Atta-  
 men paulo post præter tres Sabaudiae  
 Principes illuc etiam advenerant Bressiæ  
 Dynasta, quem Rex Lochiæ diuturno car-  
 cere vexabat, necnon Romontius Comes,  
 & Genevensis Episcopus unacum Ducis  
 Burgundiæ Marescallo, aliisque Proce-  
 ribus, qui olim a Ludovico male habiti  
 sunt. Quapropter Rex horum præsen-  
 tiam veritus, Burgundiæ Ducem, ut ar-  
 cem incolere posset, rogavit. Equidem  
 inanis erat hæc Regis trepidatio; inter-  
 venit



venit tamen casus, qui veri timoris ar-  
gumentum erat.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

§. XLI.

*Advatica Tungrorum a Leodiensibus  
denuo seditiosis occupata.*

Ludovicus XI, antequam Peronnam a- Comin. l. 2.  
diret, duos Leodium ablegabat Ora- cap. 6.  
tores, qui cum civibus aliunde seditio-  
sis foedus inirent, eosque prompti auxi-  
lii pollicitatione eo inducerent, ut ipsi, si  
forte Burgundus Franciam invaderet,  
bellum redintegrarent. Quamvis autem  
Rex interea cum Burgundiæ Duce con-  
cordiam sanxisset, negotium tamen Ora-  
toribus demandatum revocare neglexit.  
Igitur re palam facta, Leodienses Gallorum  
subsidio freti, Tungrensem urbem armis  
raptim captis infestant, in qua Leodien-  
sium Episcopus captivus detinebatur, u-  
nacum quodam Nobili, Imbercurtio no-  
mine, quem Dux ad prævertendam  
Civium seditionem cum copiis eo de-  
creverat. Primo impetu urbem occu-  
pant, plures Canonicos trucidant, &  
nonnullos Burgundi fautores gladio pe-  
rimunt. Dux comperta cæde, in ra-  
biem actus, Peronnensis arcis portas clau-  
di jubet, atque in Franciæ Regem, quæ-  
cunque iræ vehementia dictabat, convi-  
tia effundit, eumque proditorem, atque per-



Sæcul. XV. perfidum adeo impotenti indignatione  
 A.C. 1468. compellat, ut, nisi Philippi Comminæi  
 consilio fuisset absterritus, abs dubio Re-  
 gem comprehendi jussisset, ac ob præterri-  
 tas offensiones severam de eo vindictam  
 sumpsisset.

## §. XLII.

*Angustia Regis Peronnæ inclusi.*

*Commin. 1.2.  
 cap. 7.*

**R**ex gravissima animi sollicitudine agi-  
 tatur; hinc enim inimici sui, qui ju-  
 stissime in eum commotus erat, arbitrio  
 relictum se cernebat; illinc vero a populo  
 cinctus erat, quem sibi plusquam vati-  
 niano odio infensum noverat. Tertia  
 jamjam fluxerat dies, qua inquietissima  
 hac cogitationum tempestate quatieba-  
 tur; His accessit, quod Dux toto hoc  
 tempore nec ipse Regem accedere, nec  
 aliis eum invisendi copiam faceret, ex-  
 ceptis quibusdam Ducis Ministris. Hos  
 tamen Rex tam dextre auro corrupit, ut  
 ipsorum opera libertatem suam impe-  
 traret. Testatur Cominæus, ex his  
 quempiam fuisse, cui Rex quindecim au-  
 reorum millia eo fine tradidit, ut hanc  
 summam inter Ducis consiliarios distri-  
 bueret: hunc vero hæc pecunias in al-  
 ios longe usus convertisse.

## §. XLIII.



## §. XLIII.

*Regis libertas duris conditionibus redempta.*Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

Cunctis rebus adeo sinistre succedentibus necesse fuit, ut Galliarum Rex libertatem suam novo pacto redimeret. Igitur utrinque sancitum I. Rex retenta Normannia Bituricensi Duci Campaniam & Briam cedit; II. Burgundum unacum copiis, quotquot Duci præscribere placebit, Leodium usque comitabitur, ut ipse testis esset severæ castigationis, quam infelix iste populus subire tenebitur. His pactis utrinque firmatis Rex a Leodiensium foedere recedere, ac promittere jubebatur, quod initæ pacis conditiones inviolabili fide servare velit, in cuius fidem jusjurandum super brachio S. Lantonis, & salvificæ Crucis reliquit, quas Ludovicus secum attulerat, præstare compellebatur. Posthæc excubiis ab arce amotis, Britannia ac Bituricum Duces de tota rerum serie confestim edocebantur.

## §. XLIV.

*Rex unacum Duce vix non a Leodiensibus captus.*

Postera die Dux cum exercitu suo in Leodienses movit, atque ad urbem castra



Sæcul. XV. castra posuit; Cives, cum omni alio,  
A. C. 1468. quam præter solam pertinaciam suam  
 præsidio destituti essent, opem in teme-  
 rario quodam ausu quæerunt; quippe sex-  
 centi eorum ad quævis audenda parati  
 per cavatam quamdam viam clanculo  
 penetrant, eo consilio, ut Regem, atque  
 Ducem, expugnatis eorum domibus, vel  
 neci traderent, vel carceri manciparent,  
 interea vero ceterorum civium agmina  
 eruptionem simularent, atque aliam sta-  
 tionem oppugnarent, hocque stratage-  
 mate hostem ab illis averterent. Verum  
 audax eorum consilium eventus fefellit;  
 cum enim Alenfonii, & Credonii ædes,  
 quibus Regis Ducisque Palatia adiace-  
 bant, perfringere aggredierentur, Regii sa-  
 tellites ad insolitum strepitum excitati  
 nulla cunctatione ad arma convolant, &  
 irrumpentium ausibus obsistunt. Rex  
 quoque, qui paulo ante cubitum iverat, a-  
 lacri animo lecto exiliens, arma corripit,  
 Duxque galea, atque thorace munitus  
 invicto robore duodecim aut omnino  
 quindecim armatorum impetus solus su-  
 stinet, donec suis in auxilium curren-  
 tibus periculum evaderet. Sinistram  
 hoc primi furoris fatum omnem insidia-  
 rum fabricam a sexcentis illis Leodien-  
 sibus constructam evertit; Hi enim, si  
 recta Regis, Ducisque diversoria invasis-  
 sent, eos vestibus quidem indutos, sed in  
 stratis



fratis suis inermes interceptissent modico indulgentes somno, eo fine, ut altera die, quæ erat trigesima Octobris, vigiles excubarent ad decretoriam Leodiensis urbis oppugnationem.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

## §. XLV.

*Leodiensis urbis aggressio, & Regis reditus Lutetiam.*

Dux, priusquam urbis Leodiensis oppugnationi initium daret, Galliarum Regi significari iussit: Namurcum durante expeditione bellica, si vellet, recederet. Huic reposuit Rex, quod derelictis suis sociis pericula declinare minime assuetus esset. Equidem Leodienses diem Dominicam mutuis cædibus pollutum iri haud credebant, nihilominus Burgundiones eadem die undique in urbem impetum faciunt, necnon die ad meridiem vergente muros conscendunt, urbemque infestis armis ingrediuntur, conclamantes: *trucidate, impune jugulate illos*; nullos enim invenerant, qui eis resisterent; eoquod Civium quamplurimi per pontem Mosæ flumini impositum in Arduennam silvam, ubi tamen potior eorum pars fame sitique periit, fuga dilapsi essent, alii vero vel in sacras ædes se recepissent, vel domi sese occultassent. Tandem tota urbs militari Victorum licentias



Sæcul. XV.  
A. C. 1468.

centiæ diripienda relinquitur. Præterea tam inhumanum Burgundi facinus Rex metu adactus, coram Duce, ejusque Ministris deprædicare compulsus est: quarto etiam seu quinto ab urbe capta die Lutetiam redeundi copiam petere a Duce jubebatur, ut Peronnensis pacis conditiones ad acta Parlamenti referri curaret. Equidem Dux Regi reditum petenti repulsam dare non audebat, eum tamen, ut pacta denuo rata haberet adigit illisque insuper adjici postulavit, ut Urfeum, Loum, & Poncetum a Ripa seu Riverium, in pristinam bonorum suorum possessionem revocaret; id vero ægre admodum a Rege impetrari potuit.

## §. XLVI.

*Leodium a Burgundo incendi  
jussum.*

*Commin. l. 3.  
cap. 14.*

**D**ux Regem in Gallias redeuntem ad mediam circiter Leucam comitabatur, simulque jubebat, ut quamprimum urbe egressus esset, Leodium penitus flammis absumeretur; voluit tamen, ut a communi incendio Ecclesiæ, necnon trecentæ Canonorum ac Presbyterorum ædes eriperentur, eo fine, ut singulis diebus res divina peragi posset. Nichilominus potissimam earum partem jam antea effrænis militum avaritia sacra suppel-



suppellectili, aliisque bonis spoliaverat. Sæcul. XV. A.C. 1468.  
 Præterea Ducis jussu mille, vel juxta alios mille ducenti in ædibus suis deprehensi, infelices crudelitatis victimæ, a quibus suffocati sunt. Ceterum quamvis Dux, cum flammæ totam, qua late patet, urbem incredibili rapiditate absumerent, quarto etiam milliari ad Burgundiæ fines remotus consisteret, nihilominus, inquit Cominæus, crepitantium flammarum fragor, ac miserorum ejulatus eoque tam claro penetrabant sono, ut quisque se urbi præsentem esse crederet. Leodiensis illa civitas celebris fuisse dicitur triginta duabus Paræciis, octo Canonorum Capitulis, comprehensa Ecclesia Cathedrali; ut taceamus non pauca tam Religiosorum, quam Monialium asceteria, & plurimas minores Ecclesias ac Nosocomia. Recensebat insuper præfata urbs incolarum facile centum viginti millia.

## §. XLVII.

*Bellum a Papa in Robertum Malatestam motum.*

Interim Paulus II. Malatestam Ariminensem Toparcham, qui a pacis inter Principes Italiæ sancitæ beneficio exclusus fuerat, in propria ejus urbe obsidione pressit. Soli Veneti summi Pontificis Papiens. epist. 276. Idem. comment. l. 4. § 5.  
*Hist. Eccles. Tom. XXIX.* U par-



Sæcul. XV. partes tuebantur, Malatestam vero Fer-  
A.C. 1468. dinandus Neapolis Rex, Galeatius Me-  
 diolanensium Dux, necnon Florentini pro  
 viribus propugnabant. Papiensis crimi-  
 nis loco habet, quod Ferdinandus Ma-  
 latestæ partes adversus Ecclesiam tuen-  
 das suscepisset, eundemque ingrati-  
 tudinis redarguit, exclamans: *Quis hæc digne  
 lamentari queat? rara est fides, & meri-  
 torum recordatio. Opibus Ecclesie per-  
 sæpe Ferdinandum juvit Pius II; Nec in-  
 clementer multa in Regem Paulus II. Quid  
 oro, clementissimum? Audire nunquam pas-  
 sus est hostium de illo consilia. Remisit cen-  
 sus; dedit Sacerdotia, Præsulatus contulit,  
 Caraffam Archiepiscopum Neapolitanum  
 ad ejus voluntatem creavit Cardinalem  
 Romanæ Sedis. Hæ sunt illæ rationes,  
 quæ juxta Cardinalem Papiensem Fer-  
 dinandum permovere debuissent, ut pari  
 studio summi Pontificis causam tuere-  
 tur, in qua tamen ambitio, & privati  
 quæstus cupido potiores partes quam i-  
 psa æquitas tenebat.*

## §. XLVIII.

*Origo Diffensionum inter Paulum II,  
 & Ferdinandum Neapolis  
 Regem.*

**P**rinces Soranus, cum Andegavenses  
 adversus Ferdinandum propugnasset,  
 a Pon-



a Pontificis exercitu oppressus, ægre pacem obtinuit, ea lege, ut ejus Principatus Romanæ Ecclesiæ relinqueretur, nec unquam Regis Neapolitani ditionibus accenseretur. Ferdinandus, licet ipse conditionem assensu suo firmasset, nihilominus postquam Calabriae Ducem expulerat, sibi que totum Neapolis regnum vendicaverat, conventionis immemor, Soranum Toparchatum a summo Pontifice Paulo II. repetiit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

§. XLIX.

*Papæ exercitus ab obsidione Ariminensi per Ferdinandum præpeditus.*

Ferdinandus, cum hanc ditionem a Pontifice precibus impetrare desperaret, armis contendere decernit, ac Robertum Malatestam in fidem, suumque patrocinium recipit. Hic Filius erat spurius Sigmundi, ac defuncto ejus Patre tanta dexteritate benevolentiam Pontificis aucupabatur, ut Ariminensem Toparchiam ab eo impetraret, eo pacto, vi cujus illam non nisi ad tempus, & salvo Romanæ Ecclesiæ pleno jure ac Dominio possideret. Verum Robertus eam penitus suæ subjecit potestati, atque ejecta socru sua totum se Ferdinandi præsidio commisit. Hic vero Pontificis copias, quæ

U 2

Arimi-



Sæcul. XV. Ariminensem urbem cingebant, aggredi-  
 A.C 1468. tur, easque ad solvendam obsidionem  
 compellit. Nec tamen Pontificis exer-  
 citum tanta affecerat clade, quominus  
 facili negotio urbis obsidionem redinte-  
 grare potuisset, si Venetorum Bellidux  
 cum suppetiis aliquantulum citius accur-  
 risset; qui tamen in hoc potius Reipu-  
 blicæ iustis obtemperare, quam Lauren-  
 tii Spoletani Episcopi, penes quem Pon-  
 tificii exercitus imperium erat, fortitudi-  
 ni, suorumque obfirmato vincendi animo  
 respondere voluit.

§. L.

*Aquitannia a Ludovico XI. fratri  
 ejus, Campaniæ loco,  
 oblata.*

*Comin. 1. 2.  
 cap. 15.*

Propius nihil erat, quam ut novæ etiam  
 Pontifici nascerentur inimiciæ cum  
 Galliarum Rege, eoquod Cardinalem  
 Balvem carceri tradidisset. Ludovicus  
 enim Leodio redux, accerrimum se Pe-  
 ronensis Concordiæ vindicem simula-  
 bat; semper tamen impatienti ferebat a-  
 nimo arctiorem Caroli Bituricensis fra-  
 tris sui amicitiam cum Burgundiæ Du-  
 ce; quare ambos ab invicem divellere  
 unice intentus erat, hancque ob rem fra-  
 tri suo per quosdam ejus familiares au-  
 ctor fuit, ut loco Campaniæ & Briæ,  
 quas



quas Burgundiæ Dux a Rege extorserat, Sæcul. IV.  
A. C. 1468.  
Aquitanniæ Ducatum, & Rupellæ Præfecturam acciperet; Equidem majus inde Principi accrevisset emolumentum, nihilominus Burgundiæ Dux huic permutacioni obstitens, Bituricensi exposuit, quod si Campaniam Burgundiæ adeo vicinam dimitteret, atque ad remotas Aquitanniæ ditiones secederet, eo ipso nec securitati, nec libertati suæ consulere, & quod rei summa esset, emergente forsitan in eum Regis indignatione, quo tuto se reciperet, haud amplius haberet. Hæc Ducis consilia non modice firmabantur adjunctis quoque Cardinalis Balvis suggestionibus, cui alio nomine satis molesta, ac odiosa erat Regis cum Bituricensi concordia.

## §. LI.

*Diffidia inter utrumque Principem a Cardinale Balve suscitata.*

**B**alves, quem Ludovicus XI. stratum atque abjectum ad prima Ecclesiæ regniq[ue] subsellia sublevavit, opibus auxit, ac primo ad Ebroicensem, tum ad Andegavensem Ecclesiam, demum ad Campi Fisci, S. Engeriaci, & S. Theodorici Abbatias promovit, & tandem obtenta ex Regis favore purpura, suum quoque publici status Administrum nominavit, is



Sæcul. XV.  
A.C. 1468.

tantusque Vir Regem suum turpiter pro-  
dere, cunctaque ejusdem consilia, quæ  
in mox præfata Bituricensi caussa foverat,  
penitus evertere non dubitavit. Cum  
enim cunctis ferme Principibus nil ma-  
gis familiare sit, quam quod erga suos  
facile amicitias concipiant, facilius vero  
dimittant, ideo & Cardinalis cum Ludo-  
vicum hoc quoque vitio laborare cerne-  
ret, inde perperam quidem, re tamen i-  
psa sat solide inferebat, quod & ipse aut  
omnino Regis sui gratia excideret, aut sal-  
tem eidem minus acceptus esset, quam-  
primum Regia sua Majestas Ministri sui  
operam sibi haud ultra utilem esse existi-  
mabit, proin gratiæ, qua hucusque apud  
Regem valebat, eo magis decresceret, quo  
minus in negotiis publicis ejus consilia  
exquirerentur. Hanc ob rem Cardinalis,  
ut Principum diffidiis continuo ferven-  
tibus se Regi necessarium redderet, nil  
magis e re fore arbitratur, quam ut  
eorum odia, quibus Regem insectabantur,  
augeret, ac Bituricensi, Burgundo, & Bri-  
tanno Ducibus suspiciones adeo verosi-  
miles injiceret, ut illi, quantacunque de-  
mum circumspectione agerent, certo ta-  
men se a Rege circumveniri crederent.

Hoc consilio Balves omnia antehac  
inita pacis foedera evertit, Regemque ad  
Peronnensem congressum, licet inviti  
essent ejus Senatores, hortatu suo indu-  
xit;



xit; cum vero probe sibi compertam haberet Regis astutiam, & Bituricensis imbecillitatem, hinc Lescunum Duci carissimum promissi Convenensis Ducatus spe corrupti, haud amplius dubitans, quin Rex communicatis inter ambos fratres consiliis, ad suum arbitrium cum Bituricensi acturus esset, proin hujus inimici metu liber, nullo negotio Burgundiæ ac Britanniae Duces, ad officium redigeret; præcipue, quod ceterarum Provinciarum Nobiles eorum partibus accedere tamdiu detrectarent, donec illum, qui proximus Gallicæ coronæ hæres esset, suis quoque studiis addictum cernerent. Balvis igitur Regem a concordia cum Bituricensi deterere, Burgundum vero ad restaurandum bellum incitare statuit. Quapropter nuntium suo nomine ad ambos Duces ablegat, huncque de tota rei agendæ summa accurate edocet, demum eidem literas proprio chirographo, nullis tamen arcanis notis conscriptas tradit, dato negotio, ut ad Bituricum Ducem, utpote magis credulum, recta sese conferat & eidem secreti silentii religionem enixe commendet.

§. LII.

*Balvis Epistolæ ad Bituricensem & Burgundum Duces.*

**T**enor epistolæ ad Bituricum Ducem perscri-

U 4

scri-

Sæcul. XV.  
A.C. 1468.



**Sacra. XV.**  
**A. C 1468.**

scriptæ erat sequens: Rex tibi dimissa Campania Aquitaniam offerre meditatur, cautus tamen ac providus sis, ne ejusmodi permutationem, quantumcunque proficua tibi videatur, acceptes; nullum enim aliud Regis animo infidet consilium, quam ut te hoc pacto a Burgundi & Britanni Ducum, quos longe omnium amicorum carissimos habes, societate divellat, ac demum omnes tres eo majori facilitate opprimat, quo certius mutui auxilii copiam vobis intercludit. In literis vero ad Burgundiæ Ducem directis significat, Regem ac Bituricensem proxime sua cellaturos consilia, nec amplius eorum congressum impediendi locum superesse; proin ambos hosce fratres velideo amicitiam abs dubio redintegraturos, ut denique toto impetu in Burgundiæ Ducem irumpere possent; additque Regem unice cum Bituricensi, & Britanno pacem tam sollicitè procurare, ut neminem a tergo haberet, qui conceptæ suæ vindictæ obicem poneret. Emissarius hisce instructus epistolis iter aggreditur; verum in Britannicæ finibus comprehendebatur, ac penitus excusus in intima thoracis sui parte literas gestare deprehensus est. Vix illæ ad Regem delatæ sunt, cum illico Ludovicus cognita Cardinalis, quem suorum subditorum fidelissimum reputabat, perfidia summe obstu-



obstupefactus hæret, injuriam tamen Sæcul. XV.  
 silentio premere decernit, donec Bitu- A.C. 1468.  
 ricum Duci hæc communicasset literas,  
 ut & ipse proprii oculi testimonio con-  
 victus agnosceret, eos ipsos, qui hucus-  
 que Ducem inter & Regem dissidia con-  
 flare conati essent, utriusque simul jura-  
 tos esse inimicos.

## §. LIII.

*Colloquium Regis cum Bituricensi  
 Duce.*

**H**aud procul a quodam flumine, quod  
 Andegavensium, ac Britonum fines  
 interjacet, Rex & Bituricensis congressi  
 sunt, de præsentis negotio inter se colla-  
 turi; Cum igitur huic anni dedita opera  
 pons impositus esset, & illuc ambo con-  
 venissent, Rex Ducem pedibus suis ad-  
 volutum surgere jussit, eidemque manum  
 suam osculandam præbuit, ac ceteris di-  
 missis nonnisi duodecim forensis togæ  
 Viros colloquio interesse voluit, coram  
 quibus Duci pessima Cardinalis consilia  
 exponit, subjungens, se verbi sui testes in  
 manibus tenere; hoc dicto literas ex  
 pera depromptas Bituricensi legendas tra-  
 dit, rogatque, ut solerter observare ve-  
 lit, eundem Balvem, qui in priori sua e-  
 pistola se fidelissimum Ducis amicum pro-  
 fessus esset, jam in altera accerrimum



Secul. XV.  
A.C. 1469.

se ejusdem inimicum opere & calamo profiteri. Quorundam Historicorum fide discimus, Ducem, cum adeo turpiter se delusum cognosceret, inter juges lacrimas secunda vice genibus Ludovici sese advolvisse, sed a Rege mox surgere jussim; Illo abhinc tempore ambo fratres in mutuos amplexus ruebant, atque haud obscuras sinceræ amicitiae significationes dabant, Ludovicus quoque Bituricum Ducem amica vi compulit, ut ad Regis curiam reverteretur, ibidemque pristinum dignitatis suæ gradum rursus obtineret. His ita peractis, solutoque colloquio ambo ad sua reversi sunt.

## §. LIV.

*Balves Cardinalis, & Virodunensis  
Episcopus capti.*

A deo manifesta erat proditionis nequitia, ut ab illius Architecto Balve Cardinale publicas juxta ac severissimas poscere poenas videretur. Quare Ludovicus Cardinalem unacum Guilielmo Harcourtio Virodunensi Episcopo, quem Balves sibi in perfidiæ consortium adsciverat, comprehendi, illumque ad montem Basonem, Episcopum vero ad Bastillam in carceres detrudi jussit. Cardinalis, quæstione instituta, potissima, de quibus accusabatur, crimina his pene verbis

*Papiens.  
Comment.  
l. 7.*



verbis fatebatur: Me utriusque Epi- Sæcul. XV.  
 stolæ, quæ intercepta fuit, auctorem ex- A.C. 1469.  
 titisse haud diffiteor, ad hanc vero perfidi-  
 diam adversus Regem concitavit me im-  
 minutæ auctoritatis meæ toedium; hanc  
 ob rem totus in eo eram, ut Burgun-  
 diæ Dux Regi semper terrori esset, ac  
 continuis ab eo abstraheretur dissidiis;  
 præterea eidem Ludovico Regi meo au-  
 ctor fui, ut Peronnensem adiret congres-  
 sum; inde enim sperabam, capitales u-  
 triusque Principis inimicitias facile au-  
 gendas; me quoque dictante, propudiosæ  
 pacis conditiones ibidem sancitæ fuerunt;  
 meo etiam consilio ac instinctu Burgun-  
 diæ Dux Galliarum Regem adegit, ut  
 eum Leodium usque comitaretur, ac  
 Leodiensium, quos sibi semper addictis-  
 simos habebat, excidii oculatus testis  
 esset. Hæc, quæ Cardinalis ultro passus  
 est, ad Regem referebantur, & quamvis  
 sufficerent, ut juxta legum præscripta  
 condemnari potuisset, nihilominus Rex  
 duos ex Senatu regio Juris consultos se-  
 legit, eosque Romam ad Pontificem mi-  
 sit, qui postularent, ut coram delegatis a  
 Sede Apostolica iudicibus in Francia reus  
 Cardinalis in jus vocaretur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1469.

§. LV.

*Papa a Rege ad hujus causæ Judices delegandos rogatus.*

Enimvero, ne Rex Cardinalem Romanum transmitti pateretur, gravissima obstabat ratio, quam Pontifici his verbis exposuit: Gallorum animi in illis Provinciis, quas reus pertransire deberet, tam vehementi ira accensi sunt, ut nulla satellitum vi prohiberi possent, quo minus illum tanquam civilis belli auctorem membratim discerperent. Cum autem Paulus II. non ita pridem Cardinalium immunitatem novis favoribus auxisset, hinc nimis acerbum legi recens conditæ vulnus fuisset inflictum, si Papa eam labefactari permisisset quoad præcipuum illius caput, quod aliunde sat aptum erat, ut Regum clientibus purpuræ desiderium inspiraret, vel maxime ex eo, quod ad hanc dignitatem evecti duntaxat subjici possint iudicio, cui ceteri Cardinales eorum confratres in pleno Patrum Senatu præsunt. Quare summus Pontifex eorum privilegia integre servari voluit, cum vero haud majus firmitatis robur illis accederet, quam si ea primo in Gallis ad usum deducerentur, ubi semel Rege Christianissimo per suam submissionem ea approbante, ceteri omnes Christiani Orbis



Orbis Principes obsequium suum illis de-  
 tractare minime ausuri credebantur, ideo Sæcul. XV.  
 A.C.1469.  
 hac super re frequens habebatur consul-  
 tatio, tandem vero decretum, quod Pon-  
 tificex Regis voluntati hac in re plene ob-  
 sequi haud possit.

## §. LVI.

*Responsum Papæ ad Regem.*

Igitur Pontifex ad Ludovicum Regem  
 rescripsit, quod lubenter eidem grati-  
 ficari velit, atque ad ejus preces Romæ  
 quosdam judices a se electos Avenionem  
 missurus sit, qui ibidem ex delegata po-  
 testate judicii acta contra Balvem Car-  
 dinalem, & Virodunensem Episcopum  
 instruant; si vero Avenionensis civitas  
 Regi minus grata foret, Papa eidem in  
 Galliis tres urbis proposuit, quæ suis E-  
 piscopis tam in Sacra, quam profana  
 jurisdictione pleno jure subjectæ essent,  
 sique Rex ex illis unam selegerit, se cu-  
 raturum pollicebatur Pontifex, ut ad il-  
 lam Rei quantocius deferantur, ibidem-  
 que, donec absolutum esset judicium,  
 detineantur. Præterea Papa a Rege po-  
 stulabat, ut tam ipsis, quam aliis eorum  
 nomine plena sese defendendi libertas  
 concedatur, Judices vero delegati omni-  
 bus ex juris ordine discussis acta usque  
 ad sententiam definitivam exclusive in-  
 struant,



Sæcul. XV. A.C. 1469. struant, eaque clausa illico Romam mit-  
tant, ut in sacro Purpuratorum Senatu  
coram Pontifice cum summa integritate,  
ac necessaria diligentia iterato examini  
subjiciantur, tandemque definitiva sen-  
tentia ibidem feratur, atque ad Judices  
Delegatos eo, quo lata est, rigoris teno-  
re transmittatur, Rex vero fidem suam  
obstringat, quod præfatam sententiam eo  
modo, quo pronunciata fuit, nullo ad-  
dito, dempto vel mutato executioni da-  
re velit, quin tamen Galli eam aliter ac  
lata esset, interpretandi jus sibi arroga-  
re valerent.

## §. LVII.

*Rei sprete Papæ petitæ a Rege in  
vinculis detenti.*

**M**inime latebant Regem Romanæ Cu-  
riæ consilia, nihilotenus, cum nec  
illam offendere, nec eidem obsequi vel-  
let, inter hæc duo extrema, quorum ut-  
rumque æque sibi molestum fore cogno-  
verat, mediam selegit viam, qua suæ  
indignationi imperaret, ac iudicii cur-  
sum sisteret, simulque diuturni juxta ac  
teterrimi carceris squalore nefaria utrius-  
que complicitis scelera vindicaret. Hæc  
ærumnas Cardinalis Balves solidis un-  
decim; Virodunensis vero Episcopus om-  
nino quatuordecim quindecimve annis  
susti-

*Comin. l. 6.  
cap. 12.*



fustinebat. De eodem Antistite recen-  
 set Cominæus, illum Regi fuisse aucto-  
 rem ferrearum cavearum, quæ includen-  
 dis iis, qui Regem offendissent, aptissimæ  
 essent, ac ipsummet Virodunensem om-  
 nium primum in unam earum toto ca-  
 ptivitatis suæ tempore conjectum hæsis-  
 se, justissimo sane sævi inventi supplicio;  
 quo ferme eodem Perillum multatum  
 novimus; hic enim prior in æneum  
 taurum, quem Phalaris tyranni jussu in-  
 felix faber confecerat, inclusus arte sua  
 periit.

## §. LVIII.

*Aquitannia, dimissis Campania & Bria,  
 a Bituricensi acceptata.*

Ludovicus XI. horum proditorum me-  
 tu vacuus, potissimas eo curas inten-  
 dit, ut cæptum cum Bituricensi nego-  
 tium, quo Briam atque Campaniam cum  
 Aquitannia permutare statuit, tandem  
 absolveret. Ipse Dux a Regis consilio  
 haud alienus erat; quippe ejus animum  
 jamjam Lescunus spurius Armeniaci fi-  
 lius, Ducique in paucis carus eo jam-  
 jam inclinaverat. Itaque Borbonii Dux  
 Rupellam petiit, Bituricum Ducem, qui  
 eo venerat, invisurus; Ubi etiam per-  
 mutationis pactum penitus conclusum,  
 firmatumque est. Postea Dux Regem  
 adiit,



Sæcul. XV. adit, qui eadem pacta juramento super  
A.C. 1469. brachio S. Lautonis Andegavensis præ-  
 stito rata habuit. Hoc jurisjurandi ge-  
 nere nunquam se obstringere solitus erat  
 Ludovicus, nisi extrema necessitate ad-  
 actus; cum enim sibi persuasum haberet,  
 ejusmodi sacramenti violatorem intra u-  
 nius anni spatium haud dubie moritu-  
 rum, ipse immodice vitæ suæ amore ac  
 mortis metu occupatus, tanto discrimi-  
 ni sese exponere pertimescebat. Resti-  
 tuta pace tot votis expetita publicæ Deo  
 reddebantur gratiæ, hancque ob rem  
 Ambrosianus Hymnus solemnî pompa  
 decantabatur; Ab hujus concordiæ tem-  
 pore Carolus Bituricensis non nisi Aquit-  
 anniæ Dux nuncupabatur, idem quoque  
 Regi clientelare obsequium consueta  
 forma professus, Britanniam reliquit, at-  
 que in Gallias reversus est, ubi cum ma-  
 ximis quidem lætitiæ & magnificentiæ  
 signis excipiebatur; summum tamen Bur-  
 gundiæ Duci fastidium inde creabat.

## §. LIX.

*Rex Britannicæ Ducem a Burgundo  
 avellere intentus.*

Præter solum Britannicæ Ducem nullus  
 amplius supererat, quem Ludovicus  
 XI. pariter a Burgundo divellere posset,  
 eo fine, ut ceterorum auxilio destitutum  
 eo



eo facilius suo quoque subjiceret imperio. Sæcul. XV.  
A.C 1469.  
 Cum vero Franciscus II. Britanniae Dux Gallorum, quorum fidem sibi suspectam habebat, cuncta adversum se molimina semper in omnibus casibus provide elusisset, haud facili negotio a veteri Burgundi Ducis amicitia amoveri valuit. Ergo Rex consilium in astu quærendum ratus, obtentu benevolentiae torquem aureum Ordinis S. Michaelis, quem Ambasiæ prima Augusti die recens instituit, ad eum transmittit, hacque honorifica legatione Lescunum auget, qui præfati Ordinis insigne ingenti pompa Duci obtulit. Verum illud Britannus acceptare recusabat, caussatus, novum hunc ordinem variis gravari statutis, quæ cum sua dignitate, juribus atque prærogativis ægre conciliari possent. Præterea fama ferebat, Ducem non ita pridem a Burgundiæ Duce Vellus aureum suscepisse, Burgundum vero a Britanno equestri Periscelidis ordini adscriptum fuisse, ejusque insigni decoratum non modo Gandavi comparuisse, sed etiam illud nonnisi cum vita exuisse. Ex hac repulsa Rex arctam inter Burgundum & Britannum Duces amicitiae necessitudinem intercedere haud temere conjiciebat, quinimo secretum etiam inter eos cum ipso Rege Angliæ foedus fuisse sancitum suspicabatur. Quare funestos ejusmodi societatis successus, ut  
*Hyst. Eccles. Tom. XXIX. X op-*



Sæcul. XV. opportunis præveniret consiliis, anno se-  
 A.C. 1469. quanti bellum Burgundiæ Duci nuntiare  
 statuit.

## §. LX.

*Ordo S. Michaelis a Ludovico  
 Galliarum Rege institutus.*

*Favin. l. 3.* **Æ**gre admodum genuina, quæ Ludo-  
*Theatr. hon.* vicum ad instituendum equestrem  
*Es Equit.* S. Michaelis Ordinem impulerat, causa  
*Petr. Matth.* conjici potest; vero tamen simillimum  
*histor. Lu-* est, illum Renati Andegavensis Regis  
*dov. XI.* Siciliæ avunculi sui exemplo incitatum  
*Nicol. Ægid* fuisse, qui Ordinem *Lunæ crescentis* ere-  
*in Annal.* xerat. Cum enim Ludovicus, quamvis  
 cetera parcissimus, solemnes tamen pu-  
 blicæ pompæ actus ingenti luxu, pro-  
 fusisque divitiis celebrare solitus esset, in  
 hoc quoque cum suo avunculo de palma  
 magnificentiae contendere animo consti-  
 tuit. Igitur die prima Augusti hujus anni  
 illos, quos huic Ordini adscribendos cen-  
 sebat, ad arcem Ambasiam convocavit,  
 eosque Equites creavit sub invocatione  
 S. Michaelis Archangeli, quem Monar-  
 chia Gallicana dudum velut Regni Pa-  
 tronum venerabatur. Fuit insigne hu-  
 jus Ordinis torques aureus, qui co-  
 chleis inter se duplici nexu hærentibus,  
 ac catenulis, seu fibulis aureis undique  
 implexis ornatus erat; mediam vero tor-  
 quis



quis partem tenebat numisma, quod ima-  
ginem Sancti Michaelis inculptam refe-  
rebat. Solitum solemnibus vestis orna-  
mentum erat pallium ex tela argen-  
tea promisso firmate per terram su-  
perbe defluens, illud quoque damascena  
bombyce nivei coloris distinctum, ac co-  
chleis nodo insertis ad oram sine lege  
errantibus circumfusum conspiciebatur,  
eratque pontico vellere affabre obductum.  
Gestabant quoque Equites capitium ex  
cremesinæ tincturæ heteromallo confe-  
ctum, & ad longæ epomidis formam  
compositum. Ordinis Magister vestem  
habebat cocco tinctam. Sacramenti  
fides, qua hujus ordinis milites sese ad-  
stringunt, præcipue eo tendit, ut pro vi-  
ribus suis coronæ dignitatem, atque jura  
necnon Regis, suorumque successorum  
dignitatem cum omnibus, & adversus  
omnes tuerentur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1469.

## §. LXI.

*Statuta, & primorum Ordinis  
Equitum nomina.*

Eo tempore Rex non nisi quatuor Ordi-  
nis Ministros seu Officiales instituit, *Favin. l. 3. ibid.*  
nempe Cancellarium, Tabularium, The-  
saurarium, & Caduceatorem, quibus ta-  
men tractu temporis Præpositum, atque  
rituum Magistrum adjecit. Inter cete-  
ras



Sæcul. XV. ras hujus militiæ prærogativas facile pri-  
 ma est, quod illius Equites nullo pacto,  
 A. C. 1469. excepta hæresi, proditione, aut turpi e  
proelio fuga, Ordine Nobilium moveri  
possint. Ab initio nonnisi triginta sex  
 Equites adscripti fuere, duplici ratione  
 hunc duntaxat numerum suadente. Pri-  
 ma erat, quod Ludovicus eo tempore  
 haud plures numeraret Aulicos, quos  
 singulari favore prosequeretur. Altera,  
 ut hujus ordinis auctoritas atque splen-  
 dor exiguo Equitum numero illustrior es-  
 set. Has ob causas habito primo Ordini  
 conventu quindecim tantummodo  
 Regni sui Primores ad Equestrem hanc  
 militiam recepit; reliqua enim Ordinis in-  
 signia absentibus reservabat Proceribus,  
 quos tunc vel ex Galliarum Provinciis,  
 vel extraneorum Principum aulis advo-  
 care haud poterat, quin rebus suis male  
 consuleret, aut Principum vicinorum Va-  
 fallos ad suas partes allicere videretur;  
 In hoc Angliæ Regis ac Burgundiæ Du-  
 cis exemplum imitabatur, quorum uter-  
 que hac usus est agendi ratione, dum hic  
 Periscelidis Ordinem, ille Vellus aureum  
 suis Nobilibus conferebat. Hujus vero Or-  
 dinis dignitate Rex Galliarum in primis  
 comitiis decorabat Carolum fratrem  
 suum Aquitanniæ Ducem, Joannem  
 Borbonium, Ludovicum de Lucemburgo,  
 Comitem S. Pauli & Connestabilem,  
 An-



Andream de Valle, qui vulgo Marefcal-  
 lus Loheacius dicebatur, Joannem Beu-  
 lium Sacri-Cæſaris Comitem, Ludovi-  
 cum Bellomontium, Ludovicum Estou-  
 tevillam, Ludovicum de Valle, ac ejus-  
 dem nominis Borbonii Notham, Anto-  
 nium Chabannium Dammartini Comi-  
 tem, Joannem Armeniacum Spurium,  
 Georgium Trimollium, Gilbertum Ca-  
 bannium ſeu de Cabaneſio, Carolum  
 Cruſſolium, & Tanneguyum de Caſtro  
 Ruſcinonenſem Præfectum. Ludovi-  
 co XI. rerum potiente nunquam præfi-  
 xus triginta ſex Equitum numerus adim-  
 plebatur; Nihilominus Ludovici hoſtes  
 in vulgus ſpargebant, quod aurei torquis  
 dignitate cunctorum Procerum ſuorum  
 voluntates arctius ſuo imperio ſubjicere  
 voluerit, huncque in finem ſtudioſe  
 omnes ad Ordinis comitia convocaverit.

## §. LXII.

*Matthias a Bohemis Catholicis  
 Bohemiæ Rex ſalutatus.*

Matthias Hungariæ Rex, tandem ac-  
 ceptata Bohemiæ Corona, quæ  
 longo jam tempore ipſi oblata fuerat,  
 a Bohemis Catholicis Rex, a Moravis  
 autem ſimul Moraviæ Dux renuntiatus  
 eſt. Utriuſque inaugurationis ſolemnia  
 Menſe Februario hujus Anni Olomutii  
 X 3 cele-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1469.

Bonfin. 4.  
 deced. 2.  
 Cromer. l. 27  
 Dubrav. l. 39



Sæcul. XV. celebrata fuere, lætitiâ augmentibus  
 A C. 1469. Wratislaviensibus, eoquod eundem in  
 Silesiæ Principem reciperent. Tanta prosperitatum concursus haud probabatur Friderico Imperatori, qui cum inquietam Matthiæ indolem perspectam haberet, ne ipse auctoritate sibi concessa abuteretur, vehementer pertimescebat. Sub idem tempus, cum etiam Podiebracius, quem Sedes Apostolica Regno exuendum censebat, intra breve admodum tempus a Catholicis omnino derelictus, vix umbram Regii splendoris ultra servaret, Matthias Victorinum ejus filium in cacerem trudi jussit, ubi famis ac frigoris injuria pene consumptus, mala plurima perpeffus est.

## §. LXIII.

*Ladislavus seu Vladislavus Casimiri  
 Filius ad Bohemice Regnum  
 nominatus.*

Rebus ita dispositis Imperator Matthiæ Regi infensus Podiebracium, & Bohemos, quos Matthiæ minus propensos noverat, studiose induxerat, ut Casimirum Poloniæ Regem ad acceptandam Bohemiæ coronam iteratis precibus urgerent. Podiebracius quoque eo consilio



lio suos in Poloniam decernit Legatos, sæcul. XV. A.C. 1469.  
 quos Casimirus benigne excepit, ac de oblato Bohemiæ Regno grates rependens dimisit; Filium tamen suum natum majorem Ladislaum nomine, in Podiebracii Successorem nominari permisit, quinimo lætitiâ inde conceptam haud dissimulare poterat; Verum potissima Polonici Senatus pars ejusmodi consiliis vehementer oblectatur, ac præcipue Episcopi hac de re acerbius indignati, graviterque conquesti sunt, quod Poloniæ Rex hæreticos Oratores excipere, sibi Religioni haud duxerit; Quinimo in suis Ecclesiis a Divinis cessare decreverant, quod præfati Oratores tum præsentibus adestent: Nec tamen præter ejusmodi poenæ comminationem quicquam ulterius tentabant Episcopi; Ast tota urbs per Cracoviensis Basilicæ Canonicos penitus divinis interdicta fuit, donec hi Legati civitate excederent; Cum autem Casimirus apud summum Pontificem in suspicionem venisset, ac si Podiebracii Sectæ faveret, aut forte omnino eandem profiteretur, fidei sui integritatem vindicabat, contendens, nihil se citra Sedis Apostolicæ mandatum in hoc negotio unquam egisse. Nihilominus Ladislaus Podiebracio in Regno Bohemiæ successerat.



Sæcul. XV.  
 C 1469.

§. LXIV.

*Mahometis II. votum de exterminandis omnibus Christianis.*

*Pariens.  
 Comm. l. 7.*

Mahometes II. immodica in Christianos effervescebat iracundia, eoquod non ita pridem Venetæ classis Præfectus Ænum Thraciæ oppidum, quod fortissimo etiam Turcarum portu munitum erat, deprædatus esset, atque incendio absumpsisset. Hujus urbis jacturam ulciscendi libido adeo vehementer accendebat Mahometis animum, ut hoc anno dirum prorsus & immane nuncuparet votum, quo spondit, non visurum se somnum oculis, non epulaturum dulcia, non petiturum amœna, non tractaturum speciosa, non ab Oriente in Occidentem suam versurum faciem, donec dejecisset, & conculcasset equi sui ungulis Christi cultores, & omnium (ut blasphemus effutiit) eorum iniquitatem a facie terræ, quantum pertinet ab Oriente in Occidentem, ad laudem veri Dei Sabaoth, & magni Prophetæ Mahometis exterminasset.

Hoc votum Mahometes emisisse legitur anno vigesimo quinto Imperii sui; si ejus initium repetatur a tempore, quo Pater ejus illi prima vice imperium cesserat. Veneti hujus nefandi voti exemplar Ragusium transmiserunt, illudque ibidem, italice



Italice redditum ad summum Pontificem Sæcul. XV.  
 direxerunt. Illius vero funestos effectus A.C. 1469.  
 paulopost recensuimus.

## §. LXV.

*Eduardus a Varvicensi Comite in  
 Angliam reverso captus.*

Nullum erat Angliæ a male cæptis tu-  
 multibus otium. Varvicensis Co-  
 mes tum in Galliis agens, comperto fe-  
 lici suorum successu Caletum contendit,  
 atque interim illius urbis Præfecturam  
 cuidam Vasconiae Nobili, cognomento  
 Vauclet demandavit, ipse vero cum Cla-  
 rentiæ Duce genero suo in Angliam re-  
 versus est; Ibidem ambo copias suas re-  
 centi victoria gloriosas Verovici con-  
 jungunt, ac demum plurimarum legio-  
 num supplementis eorum nomine con-  
 scriptis aucti in Angliæ Regem movent;  
 Nec segnius ipse Eduardus suum quo-  
 que exercitum contrahit, hostemque ag-  
 gredi tentat. Jamque instructa utrinque  
 acie parabatur proelium, cum ecce! non-  
 nulli præter spem pacis consilia sugge-  
 runt, & quoniam Rex serio eam reddi  
 exoptabat, Comes vero concordiae desi-  
 derium simulabat: hinc adeo proxima  
 credebantur pacis foedera, ut Eduardus  
 labente militari disciplina, neglectisque  
 excubiis omnem periculi metum ex intem-  
 pestiva



Sæcul. XV. pestiva pacis securitate abjiceret. Unde  
A.C. 1469. Varvicensis Comes, qui hostis sui osci-  
 tantiam vigili oculo explorabat, occasio-  
 ne pro re nata usus, faventibus umbris  
 in ejus castra ex insidiis irruit, indeque  
 improvidum Regem captum abducit.

## §. LXVI.

*Eduardi Regis fuga ex captivitate.*

*Polyd. Vir-  
 gil. histor.  
 Angl. l. 24.*

Audax adeo facinus propemodum bello  
 finem imposuisset, ipsumque Henri-  
 cum suo restituisset imperio, nisi Eduar-  
 dus opportuno necessitatis ingenio sese e  
 captivitate expedivisset; quippe Eboracensem Archiepiscopum, cujus custodiæ  
 in Medelanensi arce creditus erat, tan-  
 ta dexteritate sibi conciliabat, ut ab eo  
 veniam obtineret, quatenus exigua cu-  
 stodum manu stipatus in sylvas, quæ  
 arci vicinæ erant, venationi indulgere  
 possit. Eduardus nuntiis occulte missis  
 amicos suos admonet, expeditam ipsis  
 offerri occasionem, qua Regem suum  
 libertati asserere, ac hostis sui manibus  
 eripere facile possent, dummodo oppor-  
 tunitati accederet prompta eorum volun-  
 tas, ac strenue rem exequendi audacia.  
 Accepto nuntio Guilielmus Stanlejus, &  
 Thomas Boroghus collatis invicem con-  
 siliis rem tanta prudentia aggrediuntur,  
 ut cum selecto milite prope Medelanam  
 urbem



urbem sua castra ponerent, quin eorum adventum ullus ex arcis custodibus animadverteret; Dum igitur Rex cum solito Satellitum numero inde egrediebatur, quantocius illum sui milites amici vi abstrahunt, excubitoribus, qui eum de more comitabantur, perinde ac si muneris sui immemores essent, nequaquam obluantibus.

saecul. XV.  
A.C. 1469.

Anno sequenti Eduardus rursus con-  
scenso Regni solio Varvicensis copias  
proelio vincit; Comes vero, cum Eduar-  
dum arcis adhuc custodiae inclusum  
crederet, Londinensi urbi exercitum  
suum admovet, eo consilio, ut Henricum  
e carcere eriperet, eundemque pristinis  
Regni sui iuribus redderet. Verum ubi  
captivi sui libertatem medio ferme itinere  
perceperat, quid in hoc rerum articulo  
ageret, perplexus haerebat; probe enim  
prospexerat, quod ad duram cum ma-  
jori discrimine quam antea bellum instau-  
randi necessitatem redigeretur. Eduar-  
dus contra, excusso captivitatis jugo,  
Londinum contendit, summis honoribus  
exceptus. Demum de pace agi caeptum  
est, quinimo sancitis utrinque induciis  
foederati Principes cum Rege collaturi,  
in Westmonasteriensi Palatio conveniunt,  
irrito tamen colloquii successu; post-  
quam enim aliquamdiu acris utrinque  
objur-



Sæcul. XV. objurgationibus velitatum, tandem bel-  
 lum acerbiori longe furore denuo accen-  
 debatur.

## §. LXVII.

*Militum delectus utrinque habitus,  
 Varvicensis Comes profligatus.*

Post hæc Varvicensis Comes, atque  
 Clarentiæ Dux Lincolniam sese reci-  
 piunt, milites conscribunt, eorumque  
 imperium interim Roberto Welesio de-  
 mandant, ipsi vero amicos suos undique  
 conquisitos ad capeffenda arma incitant.  
 Verum Eduardi solertia horum prævenit  
 consilia; re enim comperta Rex Welesii  
 Patrem, aliumque eidem sanguine jun-  
 ctum capite truncari iussit, cum vero  
 uterque exercitus prope Staffordiam ur-  
 bem congregaretur, Robertus proelio vi-  
 ctus, captusque tanquam Regi suo rebel-  
 lis securi percussus est.

## §. LXVIII.

*Varvicensis in Franciam profugus;  
 fœdus ab eo cum Ludovico  
 Rege initum.*

*Polyd. Vir-  
 gil. histor.  
 Angl. l. 24.  
 Comin. l. 3.  
 cap. 5.* Sinister proelii eventus tantopere Var-  
 vicensis Comitis turbabat consilia, ut  
 Caletum fugere, indeque cum Clarentiæ  
 Duce in Gallias contendere compellere-  
 tur,



tur, ut nova subsidia obtineret. Vix Ca. Sæcul. XV.  
 leto appropinquabat Comes, cum Vauclerus illius urbis Præfectus in navem, A.C. 1469.  
 qua ille vehebatur, tormentum explodi juberet; verum cognito errore paulopost ad Varvicensem Comitem clam Oratorem ablegabat, qui suam agendi rationem excusaret, eidemque hæc significaret; tempus erit, quo Vauclerus Comiti luculento demonstrabit argumento, quod favorum, quibus ab eo cumulatus fuisset, haud immemor existat; quamvis enim in hac occasione ingrati animi speciem exhibuisset: id vero eo duntaxat consilio factum credat, ut securius accepta beneficia officiis suis exæquare posset; sciret enim, quod si urbem intrasset, abs dubio de ejus salute conclamatum fuisset: in Gallias igitur concederetur, suppetias, quibus res suas redintegrare posset, sollicitaret. Comes Viri excusatione contentus, navis suæ cursum in Franciam promovit, ac demum Ambasiam venit, ubi a Ludovico XI. perhonorifice exceptus est. Comperto ejus adventu Margarita Andegavensis, quæ itidem in Galliis dudum hæserat, ut impetratis militum suppetiis Henricum conjugem suum Regno restitueret, omni cunctatione remota Ambasiam contendit, suumque Filium ad Regem adducit. Enimvero Comitis præsentia Ludovici animum, qui ad Margratia



Sæcul. XV. A.C. 1469. garitæ preces hucusque flecti haud poterat, demum expugnabat, unde Regina Angliæ prosperum colloqui successum in rem suam vertere intenta, Varvicensis Comitis Filiam Valliæ Principi matrimonio jungit, eodemque fortunæ auspicio de Henrico ejusdem Marito in libertatem afferendo agere cœpit, tam felici eventu, ut Rex Christianissimus cuncta eorum consilia non modo rata haberet, sed etiam pro exequenda expeditione necessaria sponderet auxilia.

## §. LXIX.

*Varvicensis Comes redux in Angliam.*

Paratis, compositisque rebus omnibus, Varvicensis Comes totus in eo erat, ut discessum ex Francia omni studio maturaret. Obstare videbatur Burgundiæ Ducis valida classis, quæ Comitem aggressura, ex insidiis mare occupabat. Hanc igitur per obliquum navigii cursum expectatione sua frustrari, non levis momenti res erat. Nihilominus Varvicensis hisce obstaculis superior ductore Bourbonio Notho gallicæ classis Præfecto iter aggreditur, expansisque pleno finu velis longius in altum sese ab hoste abstulit, demumque classem ad Portum gratiæ appulit, ubi novo lætitiæ argumento percepit, quod hostilia Burgundiæ Ducis navigia

*Havre de  
Grace.*



navigia turbato fragoribus aere, ac furentium ventorum vi adeo concussa fuerint, ut partim sævo fluctuum impulsu saxis allisa perierint, partim adversis turbinum insultibus dispersa sine lege errarent. Varvicensis per alienum infortunium proprio defunctus periculo, secundis velis, ac nemine obsistente Dermutam delatus suas copias in terram exposuit. Vix e navi egrediebatur, cum illico non pauci Belliduces, ac milites undique confluentes adventantem excipiunt, seque eidem adiungunt; unde ex illorum frequentia Varvicensis exercitus plusquam sexaginta armatorum millibus augebatur; his igitur copiis instructus in Ednardum hostem suum movet, eundemque ad proelium provocare meditatur. Nec segnior Eduardus exercitum suum numero longe superiorem in Nottingamiæ finibus contrahit, & haud procul a Lino-Regis, quæ urbs est valde munita ac littori maris adjacens, castra metatur. Varvicensis autem inimici sui vestigia premens, vix tertium ab ipso lapidem sua quoque tentoria erigit, ipsoque iubente totus exercitus festive conclamat: *Vivat Henricus Rex!* Eduardus percepto vociferantium tumultu perterritus hæsit; ubi vero Marchionem de Monte-acuto, in cuius fide hucusque spem maximam collocaverat, desecisse, ac nil ardentius, quam Henrici redi-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1469.

Comm.  
 1469.



Sæcul. XV. reditum exoptare intellexerat, omnes  
 A.C. 1470. fortunas suas usque adeo perditas, ever-  
 fasque esse existimabat, ut mare trajicere  
 decerneret.

## §. LXX.

*Pax inter Eduardum & Fratrem ejus  
 Clarentiæ Ducem restituta.*

*Commin.  
 lib. 3. c. 5.*

Equidem Eduardus hoc iter instituit, eo  
 consilio, ut apud externos Principes  
 rebus suis auxilium quæreret, præcipue  
 vero, ut, Comminæo teste, Clarentiæ  
 Ducem ad suas partes pertraheret, eun-  
 demque a Varvicensi Comite ejus genero  
 avelleret. Nec consilio successus deerat;  
 Dux enim jam prævie ad id propensum  
 fovebat animum, unde nonnisi de mediis  
 agebatur, quibus Clarentiæ Dux pristini  
 honorum gradibus restitui posset.  
 Præterea, ut testatur idem Auctor, Eduar-  
 dus quamdam sibi conciliabat nobilem  
 Puellam, quæ Clarentiæ Ducissæ ab ob-  
 sequiis erat, & adhucdum in Anglia post  
 Dominæ suæ discessum hærebat. Hanc  
 ille sub obtentu Ducissam adeundi in Gal-  
 lias misit. Vauclerus hujus adolescen-  
 tulae dexteritate, ac fraudibus deceptus,  
 liberum ei transitum per Caletensem ur-  
 bem concessit; illa vero confestim Cla-  
 rentiæ Ducem accedit, ac gravissimis  
 verbis Eduardi causam agit, tamque  
 vero-



verosimilibus rationibus cuncta, quæ ex <sup>Sæcul. XV.</sup> mutuo fædere Duci obvenirent, commo- <sup>A.C. 1470.</sup> da exponit, ut hic victas daret manus.

Ergo inter utrumque hunc fratrem pax & concordia tanta solertia, tamque religioso silentio restituitur, ut nec prudens astutia Ludovici XI. nec Margaritæ Reginae solertia, nec Comitis alias peracri ingenio præditi sagacitas reconciliationis hujus eventum ullatenus præsentirent.

## §. LXXI.

*Eduardus Hagæ in Hollandia.*

Pristina concordia hoc modo revocata, Eduardus ex Anglia discedit, & cum Glocestriæ Duce fratre suo, ac nonnullis amicis, sexcentorum militum præsidio stipatus navem conscendit; verum in altum decurrens, ab Ostrelinis (hoc nomine Comminæus appellat quosdam Piratas juratos Anglici nominis hostes.) exploratur. Hi vix Eduardum advehere conspiciunt, cum illico omni velorum, remigumque adnifu in eum cum octo grandioribus navigiis impetum faciunt. Equidem Eduardus, ut salutis suæ celeri fuga prospiceret, elusis insequentium studiis prior in Hollandiam appulsus est. Cum vero mare ob refluxum in se æstum undarum copia destitueretur, atque idcirco Regem portu arceret; hinc Ostre-

*Hist. Eccles. Tom. XXIX. X lini*



**Sæcul. XV.** lini prædones eum insequendi spatium  
**A.C. 1470.** & animum resumunt, atque haud procul  
 ab ipso anchoras defigunt, ut proxime  
 æstuantis maris affluxu ejus navigium  
 iterato impetu aggrederentur. Eduar-  
 dus abs dubio Piratarum præda factus  
 fuisset, nisi alieno subsidio Grutufii, qui  
 in Hollandiæ Præfectura Burgundiæ Du-  
 cis vices obibat, ab omnibus hostium in-  
 sultibus strenue propugnatus fuisset. Hic  
 Regem in sua navi permanentem saluta-  
 vit, ac ejusdem militibus pene nudis plu-  
 rimas distribuit vestes, ipsum vero Eduar-  
 dum suo ære Hagam usque comitatus est.

*Commin. ut  
 supra.*

Tanta Viri humanitas benignioris  
 fortunæ spe Eduardi Regis animum ere-  
 xit; ast fati sui invidia necdum expleta,  
 ad calamitatis augmentum eidem nun-  
 tiatur, Caletum urbem ad Henrici par-  
 tes defecisse, Vauclerum datam fidem  
 violasse, ipsumque Burgundiæ Ducem,  
 licet affinitate ipsi junctus esset, anxius  
 curis exoptare, ut Eduardus ex ejus di-  
 tione excederet; verebatur enim, ne  
 jamjam bello cum Gallis implicitus, An-  
 glorum quoque arma certo certius sibi  
 accerferet, si Eduardi recens e Regno  
 ejecti patrocinium adversus Henricum in  
 se susciperet. Verbo, Burgundus adeo  
 alienum ab Eduardi consiliis fovit ani-  
 mum, ut ipse Varvicensem Comitem  
 pla-



placare niteretur; eoquod pertinesceret, Sæcul. XV.  
 ne pace Angliæ reddita, & Henrico in A.C 1470.  
 Regnum restituto, Comes arma sua in  
 Flandriam converteret.

## §. LXXII.

*Henricus solio suo a Varvicensi  
 restitutus.*

Enimvero haud remota Regnum repe-  
 tendi spes Henrico affulit; quippe in *Polyd. Virg.*  
 Anglia ob Eduardi absentiam magna *hisi. Angl.*  
 erat rerum vicissitudo, ac sese fortuna *lib. 24.*  
 pleno suffragio Varvicensis partibus de-  
 disse videbatur. Vix enim cum copiis  
 suis Londinum venerat, cum illico Hen-  
 ricum Regem e carcere eripit, ipsum ad  
 Episcopi ædes deducit, ac aliquot post  
 diebus inde ad Cathedralē Ecclesiam  
 regali purpura, ceterisque insignibus or-  
 natum comitatur, præeuntibus ferme  
 omnibus Regni Proceribus. Solemnis  
 hæc pompa die decima tertia Octobris  
 hujus Anni millesimi quadringentesimi  
 septuagesimi peracta est, moxque convo-  
 cato Senatu Eduardus velut proditor, ac  
 Regni usurpator denuntiatur, ejus bona  
 Regis ærario adjiciuntur, cunctaque edi-  
 cta auctoritate ejus promulgata irrita de-  
 clarantur. Post hæc Henrico, omnibus-  
 que suis virilis sexus posteris jus ad Re-  
 gni coronam asseritur; his vero deficien-  
 Y 2 tibus



Sæcul. XV. A.C 1470 tibus ad successionem nominatur Clarentiæ Dux, qui Regni Gubernator constitutus est, in Regiminis societatem vocato Comite Varvicensi ejus focero; necdum enim illius defectio, quam meditabatur, comperta erat; denique omnes Eduardi fautores, læsæ Majestatis rei, ac poena mortis digni pronuntiantur. Re intellecta Regina Eduardi conjux Vestmonasterium aufugit, ubi primogenitum filium suum enixa est, eique Patris sui nomen indidit, qui tandem infelix Lancastrienfis ambitionis victima progressu temporis fuit.

## §. LXXIII.

*Papa Poloniæ Regis Filium in Bohemice Regem confirmare oblitus.*

*Cromer. l. 27*  
*Dubrav. l. 31* Interea Matthias in Poloniæ Regem, eo quod Wladislaum Filium suum in Podiebracii Successorem nominari concessisset, gravem iram concepit, sibi que non levem inde injuriam irrogatam existimans, in acerbis apud Papam querelas prorupit. Casimirus autem impense summum Pontificem, ut filii sui electionem ratam haberet, rogabat. Ast precibus suis frustratus est; Paulus enim Papa Alexandrum Foroliviensem Episcopum ad eum decreverat, qui Casimiro exponeret, Matthiam in Bohemiæ Regem Procerum suffra-



suffragio jamjam salutatum esse, ejusdemque tam insignia in Sedem Apostolicam exstare merita, ut quicquam in ejusdem dispendium moliri nefas foret. Quin imo Pontifex Polonum monuit, ut contra Podiebracium arma capesseret. **E**contra vero Fridericus Imperator missis eodem tempore ad Casimirum Legatis, multum de Matthia questus est, eoquod dum ipse in Italia morabatur, Austriacum populum ad rebellionem sollicitasset. Insuper hi Legati omnibus viribus Casimiro persuadere nitebantur, quod e re sua potissimum esset, si sua in Bohemiæ Regnum jura tueretur; hancque in rem ipsimet valida pollicebantur auxilia, quibus sese in hujus coronæ possessione firmare posset. Casimirus hac spe sopitus, Bohemos Matthiæ Regi addictos hortatur, ut cum Podiebracio in gratiam redire satagerent. Id etiam opportuno prorsus factum est tempore; quippe non ita pridem Podiebracius facta excursione Matthiam Hungariæ Regem proelio devicit, & intra Montes Bohemiæ inclusum, ad turpem fugam compulit. Sub idem tempus Casimirus, cum jam olim eo ex sine Podiebracio favisse redargueretur, ac si ejusdem hæresi infectus esset, hanc calumniam, ut a se amoliretur, ipsum Podiebracium impense adhortabatur, ut veram amplecteretur fidem, atque Eccle-

Sæcul. XV:  
A.C. 1470.



Sæcul. XV. *fiæ Sedique Apostolicæ sese subiceret.*  
 A. C. 1470 *Nec irrito conatu, nisi enim Rochifana*  
 obstitisset, forte Rex Casimiri monitis ac-  
 quievisset.

## §. LXXIV.

*Jubilæi reductio ad annum XXV.*

*Extat Bulla*  
*tom. I.*  
*Paul. II.*  
*Constit. 7.*

Perpendebat Pontifex maximam utili-  
 tatem, quæ ex Anni sacri indulgenti-  
 tiis populo Christiano obveniunt; eoquod  
 illis veluti supplemento uterentur illius  
 poenitentiae, quam quidem adimplendo  
 impares, pro viribus tamen divinæ ju-  
 stitiæ satisfacere conantur; ideo illum  
 annorum cursum, quo antehac ejusmodi  
 poenarum condonatio concedi solita erat,  
 restringere statuit. Bonifacius VIII. pri-  
 mus hujus Jubilæi auctor, illud cujus-  
 cunque Sæculi initio, id est, centesimo  
 quovis anno celebrandum instituit, post-  
 ea vero Clemens VI. ad quinquagesi-  
 mum, & Urbanus V. ad trigesimum an-  
 num hanc solemnitatem reduxit. Pau-  
 lus vero hujus nominis Secundus illud  
 deinceps singulis viginti quinque annis  
 concedendum statuit, ita, ut hujus mu-  
 tationis tempus jam a proximo currentis  
 Sæculi Anno millesimo quadringentesi-  
 mo septuagesimo quinto inciperet. Ejus  
 Bulla data est die decima nona Aprilis  
 Anno Salutis millesimo quadringentesimo  
 septuagesimo.

§. LXXV.



Sæcul. XV.  
A.C. 1470.

§. LXXV.

*Armeniaci Comitis supplicium  
in Francia.*

Cum Joannes Armeniaci Comes ob nefandas cum propria sua sorore contractas nuptias turpi nota infamis esset, ac insuper cum Duce Burgundiæ adversus Franciam clandestina fovisset consilia, Ludovicus Rex comperta Viri perfidia, recens natam inveterata ejus crimina plectendi occasionem lubenter arripuit, misitque Chabannium militari manu stipatum, qui dignas perduellionis pœnas a Comite deposceret. Joannes improvisis armis oppressus, relictis suis ditionibus, quas Rex illico occupaverat, ægre fuga sibi consuluit, seque Fontarabiam recepit. Nihilominus instructo ad-

*Fontarabie.*

versum eum judicio, ex Parlamenti sententia ad mortis supplicium damnatus est. Tractu vero temporis Aquitanniæ Ducis beneficio Comitatus sui possessionem recuperavit, nullo tamen fortunæ magis prosperæ concursu; quippe ibidem infelicissima morte obiit.

§. LXXVI.

*Ludovicus XI. Burgundiæ Ducem  
bello premere molitus.*

Ludovicus Galliarum Rex Peronnenfis  
Y † inju-



Sæcul. XV. A.C. 1470. injuriæ haud immemor, totus in eo erat, ut vindictæ in Burgundiæ Ducem explendæ occasionem aucuparetur, quam tamen nancisci haud poterat, nisi eidem bellum nuntiaret. Verum id rebus suis minus consultum censebat. Ergo ad alia conversus consilia omnes, qua late patent, Ducis status ad communem seditionem concitat, & subditorum animos jam aliunde Burgundo minus propensos, ad apertam defectionem inducit. Præterea Regem iidem etiam, quos a Consiliis habebat, ad tantam injustitiam impellebant. Hos inter Comes S. Pauli, Franciæ Connestabilis hac temporis opportunitate usus, Regi exponebat, Sacræ Majestati suæ indecorum esse, si diutius civitates ad Sommonam fluvium sitas Burgundo relinqueret, maxime, cum præ ceteris Britannicæ Ducem armis invadere, omnino inconsultum esset; inde enim nimis amplum Burgundo indulgeretur temporis spatium, intra quod habito suorum delectu in Britanni auxilium accurrere posset; cum econtra uno primoque impetu Burgundiæ Ducem opprimere, non adeo magnæ difficultatis res esset, eoquod Dux cunctas ferme selectioris militiæ legiones sacramento absolvisset. Denique subjunxit Connestabilis; hac expeditione Regi adiutum parari ad Belgii expugnationem, ubi potissi-



potissima Nobilium pars Burgundi regi-  
 men pertæsa esset. Accessit quoque Sæcul. XV.  
A.C. 1470.  
 Aquitanniæ Dux, qui omnibus quoque  
 viribus Regi bellum adversus Burgun-  
 dum persuadere conabatur; Duci enim  
 offensus erat, eoquod filiam ejus matri-  
 monio sibi tradi postulans repulsam pas-  
 sus esset.

## §. LXXVII.

*S. Quintini oppidum, & Ambianum  
 a Rege captum.*

Rex harum rationum momentis expu-  
 gnatus, in Mense Martio, atque Apri-  
 li Turonii Procerum comitia celebravit,  
 in quibus adversus Burgundiæ Ducem  
 graviter conquestus exponebat, quod is  
 in finibus Picardiæ plurimas urbes usur-  
 passet, cum Regni hostibus infesta pepi-  
 gisset foedera, ac denique Atrebatensis  
 necnon Peronnensis concordiae leges vio-  
 lasset. Regni Proceribus in sententiam  
 Ludovici facile concedentibus, decretum  
 est, Burgundiæ Duci tanquam Galliae  
 vasallo diem esse dicendam, qua coram  
 Parisiensi Curia causam suam defende-  
 ret. Hæc Burgundo denunciandi nego-  
 tium datum est cuidam Apparitori hunc  
 in finem Gandavum misso. Hic vero  
 Burgundiæ Ducis jussu in carcerem con-  
 jiciebatur, sed tamen paucis post diebus  
 liber-



Sæcul. XV  
A.C. 1470

libertati assertus est. Dux, quod res erat, suspicatus, omnes suas contraxit copias. Rex vero illum ficta concordiae spe, vanisque diffidii componendi prætextibus usque ad Decembris initium suspensum tenuit, quo item Mense Balduinus Nothus, atque Arausionensis Princeps relicto Duce, ad Ludovici XI. Regis partes deficiebant. Tandem vero Connestabilis bellum ab urbe S. Quintini auspiciabatur, illamque ex insidiis occupabat; Rex quoque copias suas ad Ambianensis urbis portas admovens, ultra a civibus exceptus est. Nec tamen æque secunda Ludovico aderat fortuna, cum Abbavillam aggredi tentaret, quam urbem Crepicordius numerofo cataphractorum Belgarum præsidio opportunè firmaverat. Verum Burgundiæ Dux prospera hæc belli auspicia, licet exigua essent, in rem suam vertere adeo non intentus erat, ut etiam inimici sui clementiam exoraret.

## §. LXXVIII.

*Caroli VIII. Sueciæ Regis obitus;  
Stenon ejus Successor.*

*Joan. magn.* **E**voluto Mense Majo Carolus VIII. Suecorum Rex mortalitatem exiit; hic  
*l. 23. c. 9.*  
*Krantz. 3.* Stenonem, quem sibi successurum haud  
*Dan. 35. c. 3.* dubitabat, enixe obtestabatur, ne coronam  
*Suec. 41.*



nam, aut Regium nomen sibi imponi pate- Sæcul. XV.  
retur, optime gnarus, quod Gothi ac Sue- A. C. 1470.  
ci regios titulos odio haberent. Id ipsum  
Stenco solerter exequabatur, unde com-  
muni omnium suffragio Principatus Gu-  
bernator salutatus est, quam etiam digni-  
tatem solidis triginta annis tenuit, non so-  
lum suo populo, & extraneis carissimus,  
sed ab ipsis quoque inimicis maximi ha-  
bitus. Eum ipso sui regni initio Chri-  
stiernus Daniæ Rex adoriebatur, sed præ-  
lio devictus, toto reliquo tempore Steno-  
nem armis laceffere minime audebat, to-  
tumque jus, quod in Sueciæ Regnum se  
habere contendebat, vindicandi oppor-  
tunitatem suis hæredibus relinquebat.

§. LXXIX.

*A Mahomete obfessa, & expugnata  
Negroponti Metropolis.*

Hoc anno Mahometes II, ut votum de Phranz. l. 3.  
extirpando Christianorum nomine a c. 30.  
se nuncupatum impleret, classem plus Petr. Justin.  
quam centum triremibus, & quampluri- hist Venet.  
mis aliis navibus validam instruxit, ea l. 8.  
que Negropontum Insulam ceteris om- Ciacon. in  
nibus Ægei maris maximam aggredi con- Paul. II.  
stituit, classisque imperium Machmuti  
Veziro concedidit. Hic donec terre-  
stres copiæ numero centum viginti mil-  
lia, quibus ipse Mahometes imperabat  
eo



Sæcul. XV.  
A.C. 1470.

eo pervenirent, in Lemnum Insulam populabundus excurrit, Imbrumque cepit. Appulsis vero in Insulam copiis tam terrestribus quam navalibus obsessa est Chalcis urbs totius Insulæ caput. Hujus obsidionis fama ad Venetos delata ingentem metum, terroremque Senatoribus incussit, eosque compulit, ut triremes, quotquot poterant, instruerent, easque in subsidium obsessorum adveherent. Romæ etiam Paulus Pontifex supplicationes publicas habuit, & ipse nudus pedibus, ac Beatissimæ Virginis imaginem deferens, supplicum agmen duxit; Verum nec precibus placari poterat Numen Christianis iratum; Nam post acerrimam triginta dierum obsidionem civitas capta, ac spoliata est, tum ob prodicionem Thomæ Liburni natione Illyrici, tum etiam propter ignaviam illius, qui Venetæ classi imperabat; horum enim prior Turcis loca minus munita prodebat, alter vero, cum nullo ferme negotio potuisset pontem dejicere, quo ex urbe ad continentem aditus patebat, sicque Mahometem intra Insulam inclusum omni subsidio destituere, maluit immobilis turpi otio torpere, quam sese glorioso periculo objicere: quamvis illum triremium Duces fortiter urgerent, atque obsessi ex moenibus efflictim ab eo suppetias peterent.

§. LXXX.



## §. LXXX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1470.*Urbs direptioni relicta, ferro flam-  
maque devastata.*

Sultanus captam urbem militum suorum furori relinquit, ut cædem ulcisceretur Turcarum quadraginta circiter milium in ea obsidione occisorum. Paulus Erizius Venetus e munitiori loco, quo confugerat, Mahometis fide egressus, crudelissimo mortis genere medius diffecabatur; Filia vero ejus, Virgo formæ dignitate, morum modestia, ac corporis & animi castimonia longe præstantissima, eoquod nefandis inhumani Mahometis amoribus cedere nollet, protinus jugulata est. Post hæc Mahometes validissimum ad Chalcidem præsidium reliquit, ac cum reliquis copiis Constantinopolim rediit. Venetæ classis Præfectus in patriam reversus, jubente Petro Mocenigo, qui eidem in imperio successit, in vincula conjectus, perpetuo exilio multatus est.

Chalcond.  
hist. Turc. l. 9.  
Phranz. loc.  
supr. cit.  
Sabellic. in  
Ann ead. 6.  
in fin. 3. dec. 8

## §. LXXXI.

*Impietas Adolphi in Patrem suum  
Geldriæ Ducem.*

Erat Arnaldo Geldriæ Duci Filius unicuique Adolphus nomine, qui diuturnum  
patris

Commin. 4.  
c. 1.

patris



Sæcul. XV. patris imperium pertæsus, bellum palam  
A. C. 1470. eidem denuntiat. Tam audax facinus  
 omnium pieorum animos exulcerabat, sed  
 tamen Principum vicinorum opera pax  
 certis legibus sancita erat; unde eo tem-  
 pore res composita credebatur. Ver-  
 rum haud sincera fuit Adolphi reconci-  
 liatio. Nam Filius ille degener, ac ambi-  
 tione sua excæcatus, Patrem suum  
 sibi nil minus timentem connubia nocte  
 ex insidiis capit, totoque corpore nudum  
 in tetrum carcerem longe abducit, ac in-  
 tegros sex menses ibidem detinet. Hunc  
 ut in libertatem assereret, Dux Cliven-  
 sis arma cepit adversus Adolphum, cu-  
 jus avunculus erat. Cum vero viribus  
 impar esset, auxilia a summo Pontifice  
 atque Imperatore petiit, qui ad Adol-  
 phum acres perscripserunt literas. (\*)  
 Is autem preces atque minas deridebat;  
 quapropter Burgundiæ Duci in mandatis  
 datum, ut rebellem hunc filium ad of-  
 ficiam reduceret. Ergo Adolphus una-  
 cum Patre suo Durlendii coram Duce  
 comparere jubetur. Paruit ille, licet in-  
 vitus, atque uterque Ducem adeunt.  
 Verum Pater ad filii conspectum tam  
 vehementi ira commovebatur, ut quam-  
 vis senio ac morbis confectus esset, ni-  
 hilo-

(\*) *Extat Papæ Epistola ad Adolphum  
 scripta in magno Chronico Belgicæ.*



hilominus illum ad singulare certamen Sæcul. XV.  
A.C. 1470.  
provocaret. Burgundus, cum filio fa-  
ret, ejusmodi pugnae discrimen subire  
utrique inhibuit; non enim sanguinem,  
sed mutuam inter eos concordiam ac re-  
conciliationem exoptabat. Unde Phi-  
lippo Comminæo, qui eo tempore Bur-  
gundiæ Duci ab obsequiis erat, nego-  
tium dedit, ut pacis leges utrique præ-  
scriberet. Comminæus itaque Adolpho  
Burgundiæ præfecturam offert, eidem-  
que significat, sibi a Duce concessum esse,  
ut si forte oblata hæc conditio minus  
placeret, ipsi totam Geldriæ Provinciam  
unacum omnibus redditibus proponeret,  
ea lege, ut Pater ejus Geldriæ Ducis ti-  
tulum retineret, ac præter trium flore-  
norum millium pensionem, totidem redi-  
tus ex parva quadam Brabantia urbe,  
quæ Gravia vocatur, perciperet, ean-  
demque civitatem pleno jure possideret.  
Ad hæc Adolphus Comminæo respon-  
dit: mallet prius patrem meum in pu-  
teum projicere, ac postea memetipsum  
super eum confestim præcipitem dare,  
quam hæc conditiones accipere: Pa-  
ter meus jam solidos quadraginta annos  
Ducatus præfuit; tempus est, ut illum Filio  
cedat, eidem lubenti animo annua tria  
floreorum millia dabo, ea conditione,  
ut haud amplius Geldriam repetat. In-  
terim Burgundiæ Duci in reconciliandis  
hisce



Sæcul. XV.  
A.C. 1470.

hisce Principibus occupato nuntium defertur, Ludovicum XI. Ambianum urbem expugnasse; Quare Dux Durlendio nulla mora relicto, Hedinum contendit. Adolphus vero Ducis absentia opportunè usus, mutato vestitu, fugam arripuit, ut in patriam suam reverteretur. Verum cum annem Namurco haud longe diffitum trajicere pararet, captus ad eandem urbem reducebatur, ubi carceri mancipatus, ibidem usque ad Burgundiæ Ducis obitum hæsit: eo autem factis functo a Gandavensibus libertati restitutus fuit.

§. LXXXII.

*Calabriæ Dux Renati Andegavensis  
Filius mortuus.*

Hoc anno Joannes Calabriæ Dux Renati Andegavensis Filius mortalitatem exiit. Hic a Catalanis in Regem assumptus, veniam obtinuit, ut proprio suo ære in Armeniacensi Comitatu novos militiæ tyrones conscriberet. Hos superatis Montibus Pyrenæis, junctis quoque Catalanorum copiis Bascinonem duxit, ubi cives ultro urbis suæ portas adventanti aperuerunt, ipse vero inde recedens Arragonenses prope Rhodam profligat, ac tentata secundæ obsidionis sorte Gironnam occupat, denique alte-  
ram



ram pugnam prospero Marte committit, Sæcul. XV. A.C. 1470.  
 auctusque novo quindecim millium ex-  
 exercitu, quem in Ruscinonensi, & Cereda-  
 no comitatu conscripserat, Cataloniam  
 ingreditur, eamque ferme totam suis ar-  
 mis subjicit: cum eccè! in medio victo-  
 riarum cursu Barcinone febris ardentiore  
 corripitur, ac vitæ stadium absolvit cir-  
 ca finem Anni post Christum natum mil-  
 lesimi quadringentesimi septuagesimi, post-  
 quam nonnisi quadragesimum quintum  
 ætatis suæ annum expleverat. Dux iste e-  
 rat solius sibi infensæ fortunæ injuriis  
 expositus, cetera inter ævi sui celebra-  
 rimos Principes facile numerandus; pru-  
 dentia enim, atque belli peritia sum-  
 mus, & Victoria pluribus in præliis re-  
 portata inclaruit, sed semper aut ab  
 aliis proditus, aut a suis derelictus, aut  
 auxilio ferme destitutus succubuit. Hu-  
 jus obitu belli flammæ non parum sopi-  
 tæ, paulo post omnino extinctæ sunt.

§. LXXXIII.

*Connubium Isabellæ de Castella cum  
 Ferdinando Arragoniæ Regis  
 Filio.*

Joannes Arragoniæ Rex, ut de Rege Marian. hist. Hisp. lib. 23. cap. 13.  
 Castellæ vindictam sumeret, eo inscio  
 Ferdinandum Filium suum cum Isabella  
 Henrici Sorore connubii vinculo sociare  
Hist. Eccles. Tom. XXIX. Z me-



Sæcul. XV.  
A. C. 1470.

meditatur, remque supremo militiæ Præfecto, ejus Patruo, & Toletano Archiepiscopo conciliantibus, Vallisoleti clam nuptiæ celebratæ sunt. Re comperta Henricus, ut Genero suo æmulum potentia haud imparem opponeret, suam quoque Filiam Aquitanniæ Duci Ludovici XI. fratri nuptui dare statuit. Nec repulsam tulit Henricus: cum vero mortis invidia Dux paulo post e vivis eriperetur, connubii pacta suo caruere successu. Castellæ Rex spe sua frustratus, sibi regni Proceres collatis dignitatum honoribus arctius devincire decrevit, ideoque Placentiæ Comitis Filio Alcantarensem Principatum dono dedit, ipsum vero Comitem Arenuli Ducatu, qui erat Isabellæ assignata redituum portio, locupletavit, postea vero Alvæ Comitatum Ducatus jure & prærogativa auxit, novoque illius Duci Graciensem, ac Berconensem Marchionatum donavit. Sub idem tempus Henricus accepto nuntio, quod Geopilara, ac Viscaya Provinciæ in duas scinderentur factiones, confestim eo destinavit copias, Ductore Harone, qui sedato tumultu dignas a nocentibus poenas exegit.

§. LXXXIV.



## §. LXXXIV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1470.*Maurorum incurfus in Castellam.*

**M**alacæ Gubernator, postquam in Muley-Haffem, qui defuncto Ismaeli Patri suo in Regno Granatæ succedebat, seditionem moverat, Regis Castellæ fidei, atque patrocínio sese commisit. Mauro- rum Rex ea de re indignatus, ut vindictam exereret in Castellæ regnum populabun- dus excurrit, cunctaque foede devastat. Alia ex parte nuntiatum est, Michaelem Lucam de Oranco Castellæ Connestabilem, Gienensis urbis Præfectum in Ec- clesia, cum sacris interesset, a Civibus ex insidiis occisum fuisse, eoquod eis Ju- dæorum Synagogam exspoliari prohi- buisset. Dum hæc interim Castellæ re- gnum turbabant, auspicatori omine Isa- bella Ferdinandi Arragonii conjux Filiam peperit, cui Matris suæ nomen indi- tum est.

## §. LXXXV.

*Triremes a Papa & Neapolis Rege Venetis submissæ.*

**C**um Veneti apud summum Pontificem, & Ferdinandum Neapolis Regem suppeticas sollicitarent, Paulus II. triremes viginti, Ferdinandus vero septendecim

Z 2

submi-



Sæcul. XV. A.C. 1470. submisit, quæ factis velis ad alias quadraginta sex, quibus Petrus Mocenigo imperabat, procurrebant. Idem Bellidux novis hisce suppetiis auctus, totum excurrit Archipelagum, ingentique strage quæcunque obvia devastat, abs dubio Turcarum molimina plurimum præpediturus, nisi ulteriorem Victoriæ cursum inopinata Pauli II. mors, quæ anno proximo contigit, inhibuisset.

## §. LXXXVI.

*Censura Propositionum de Jurisdictione ecclesiastica.*

*Dupin.  
Bibliot.  
script tom.  
12. p. 134.*

Exeunte Mense Augusto præsentis Anni Parisiensis Facultas theologica quamdam proscribat propositionem de jurisdictione Ecclesiastica, hujus tenoris: *Apostoli suam potestatem non immediate a Christo Domino, sed a Divo Petro acceperunt.* Hæc propositio Auctorem habuit Joannem Molitorem Ordinis FF. Prædicatorum, qui tamen idonea excusatione culpam diluit, ac sese facultatis iudicio subiecit, declaravitque, sibi haud perspectum fuisse, quod hæc propositio jam olim anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo nono ab eadem Facultate fuisset proscripta. Præterea quidam Theologiæ Doctor Fratrum Minorum Alumnus nomine Donatus Dupuy  
teu



seu de Puteo, qui a Pontifice extra Religionem manendi veniam obtinuerat, in Longobardorum collegio agebat, illiusque Rector erat. Hic in eodem confessa Facultatis Doctores adiit, ac publice docendi munere decorari petiit, eo quod non nisi solo nomine Religiosus esset, ac haud levia in erigendo hocce Collegio obsequia praestitisset. Facultas dilaudato Viri studio, precibus ejus annuere detrectabat, ne lege definitus Professorum numerus, qui ex Mendicantium Ordinibus assumi possent, excederetur.

## §. LXXXVII.

*Propositiones de futuris contingentibus.*

Cum alius quidam nomine Petrus de Rivo Lovanii doceret, quod Propositiones, quæ de futuro enuntiantur, veluti: *Christus veniet: futura erit resurrectio mortuorum*, non habeant determinatam veritatem, atque illi, qui ejusmodi propositiones tanquam veras tenerent, eorum erroribus implicentur, qui cuncta ex necessitate fieri asserunt; hinc adversus hanc doctrinam una omnes Doctores insurgent. Cum vero Petrus suam doctrinam hoc argumento fulcire nitetur: quicquid per necessariam consecutionem sequitur, ex inimpedibili, hoc est in-

Sæcul. XV.  
A.C. 1470.

*Argent.*  
*Collecti judic.*  
*de novis error.* fol. I.  
pag. 258.



Sæcul. XV  
A.C. 1470

*impedibile, & necessarium hinc Henricus Zoëmeren, & Jacobus Schelwaërt, quorum uterque ex Parisiensis Academiæ gremio ad Lovaniensem assumptus erat, Petrum erroris insimulabant, necnon Theologicæ Facultatis Parisiensis consilium hac super re expetebant. Hujus autem judicium his verbis erat conceptum. Anno Domini millesimo, quadragesimo, septuagesimo duodecima Novembris petierunt Theologi Lovanienses a Facultate Theologicæ, an propositiones de futuro positæ in Symbolo, sicut istæ: Christus veniet ad judicium, resurrectio mortuorum erit, sint dicendæ veræ, & an dogmatizantes eas & prædicantes esse veras, incidant in errorem dicentium: omnia de necessitate evenire, quibus post maturam deliberationem omnium sic respondit facultas theologicæ: quod omnes propositiones contentæ in Symbolo sint verissimæ & certissimæ, irrefragabilisque veritatis ab omnibus Catholicis firmiter ac fideliter credendæ, & ab illis, quibus incumbit, constanter asserendæ, prædicandæ ac defendendæ, nec propterea sic eas credentes, prædicantes, dogmatizantes & defendentes incidant in errorem illum, quod omnia de necessitate eveniant, nec in alium quemcumque errorem. Theologi Lovanienses Parisiensi hoc judicio necdum contenti, literis ad Papam datis totum negotium Romæ discuti petebant. Ea occasione Cardinalis*



nalis S. Petri ad vincula, qui postea in Sæcul. XV.  
 Papam electus Sixtus IV. vocabatur, tra- A.C. 1470.  
 statum de futuris contingentibus a Ciaco- *Ciacon. vitæ*  
 nio in vitis Pontificum laudatum elucu- *Et rei gestæ*  
 bravit; ipsæ vero Petri de Rivo proposi- *Pontif. Rom.*  
 tiones ad viginti quinque capita reductæ *in Sixto IV.*  
 omnes proscriptæ fuerunt.

§. LXXXVIII.

*Typographiæ usus Parisiis inductus.*

Primus typographiæ usus apud Pari- *Joannes de*  
 sienses hoc anno millesimo quadrin- *la Caill. hist.*  
 gentesimo septuagesimo invaluit; hujus *typogr.*  
 artis peritia ex urbe Constantiensi Lute- *Chevillier de*  
 tiam delata fuit per Udalricum Gering, *origin. ty-*  
 qui unacum sociis suis Martino Crantz, *pogr.*  
 & Michaelæ Friburger eo se contulit. *Vid. supr.*  
 Hos tres Joannes de Petra Sorbonnicus *lib. CVIII.*  
 Prior, & Guilielmus Fichet Doctor Pa- *§. CLVI.*  
 risios venire rogabant. Ii vero in qua- *Galois tract.*  
 dam Sorbonnensis Collegii aula ad *de Biblioth.*  
 artis suæ exercitium designata prelo plura  
 subjecerunt opera; evolutis tamen ali-  
 quibus annis inde recesserunt, ac alior-  
 sum se conferebant. Hæc fuere Pari-  
 siensis typographiæ initia, cujus usus e-  
 xiguo temporis spatio ad plures alias  
 Franciæ urbes propagatus est, & jam-  
 jam anno Servatoris millesimo quadrin-  
 gentesimo septimo Lugdunensibus literis  
*novum Testamentum, Gallico idiomate, Le-*



Sæcul. XV. *genda aurea*, pluresque alii libri excusi  
A.C. 1470. prodibant. Postmodum Burdigalæ,  
 Abbavillæ, apud Lingones, Tolosæ, &  
 in omnibus ferme præcipuis Regni urbi-  
 bus Typographicæ officinæ fuerunt e-  
 rectæ.

## §. LXXXIX.

*Comitia Ratisbonensia ob bellum  
Turcicum.*

*Krantz. l. 12.* *Wandal. c. 5.* *Camp. epist. l. 6.* Cum summus Pontifex Turcas ubique  
 de Christianis triumphare intellige-  
 ret, anxiis inde replebatur curis; quo-  
 circa Friderici Imperatoris opem implo-  
 rat, ab eoque obtinet, ut Ratisbonæ Prin-  
 cipum Germanorum comitia indiceren-  
 tur, ibidemque de opportunis, quibus  
 Turcarum progressus cohiberentur, me-  
 diis ageretur. Eo etiam Pontifex Lega-  
 tum decrevit Cardinalem Franciscum  
 Piccolominæum Pii II. Nepotem, ac Ger-  
 mani idiomatis peritum; eidem quoque  
 socium adjunxit Joannem Antonium Te-  
 ramensem Episcopum cognomento Cam-  
 panum, qui idem in quadam Epistola (\*)  
 de hisce Imperii comitiis hæc habet:  
*Conventus erat amplissimus, & quantum nec  
 ætas nostra vidit, nec grandissimi natu Ger-  
 mano-*

(\*) *Exstat inter Epistolas Parisenses tre-  
 centesima septuagesima quinta.*



manorum recordantur. Hic Antistes Tridentinus nomine Cæsaris prodiit in medium A.C. 1470.  
oratione Germanica, quam e vestigio, ut ex-  
teri quoque Oratores intelligerent, latine est  
interpretatus. Deinde præteritas Christia-  
norum calamitates, & recentem Carniolæ,  
quæ Imperatori parebat, cladem deplora-  
vit, hortatusque Principes omnes, ut par-  
tam a Majoribus gloriam conservarent, oc-  
currerent imminentibus periculis, & religio-  
nem tuerentur. Post Tridentinum Lega-  
tus Cardinalis Piccolominæus gravi & ipse  
oratione propositum Cæsaris, & Principum  
adventum commendavit, egitque gratias  
Pontificis nomine universis, rogans, ut quam  
spem Christianis ex conventu porrexissent,  
eam sumendis armis exhiberent, nec Beatis-  
simum Patrem sua spe frustrarentur.

## §. XC.

*Episcopi Teramensis ortus, atque  
progressus.*

**H**abuit & ipse Teramensis Episcopus Papiens.  
orationem satis prolixam, quæ ta- *epist. 377. (\*)*  
men amplis Germanorum Laudibus, &  
pene

(\*) Inepte hic allegatur Papiensis; Conti-  
nuator enim in describendo Spondano totus oc-  
cupatus, apud illum forte invenit Papiensem  
hic in margine citatum, ea tamen verba, quæ



Sæcul. XV. pene innumeris antiquitatum centariis  
A.C. 1470. referta erat, ast quoniam ex fonte eas hau-  
 serit, dubium incertumque. Sermo i-  
 ste integer exstat inter cetera ejusdem  
 Episcopi opera. Adeo rara est hu-  
 jus Viri origo, ut huc referri mereatur.  
*Volaterr.* Hic Matrem habuit rusticam ex pago Ga-  
*lib. 25.* vello prope Capuam; illa agro colendo  
 intenta erat, sed derepente partus do-  
 loribus oppressa, hunc filium sub lauro e-  
 nixa est, qui primum ovibus pascendis a  
 Patre suo destinatus fuit, postea vero  
 quidam Sacerdos, qui vicinæ Ecclesiæ  
 custos erat, puerum explorata men-  
 tis perspicacitate famulatu suo addixit,  
 eumque tanto progressu humanioribus  
 literis imbuere, ut poeta & orator plane  
 egregius evaderet; qui demum ut libe-  
 rales disciplinas in Perusina Academia  
 doceret, vocatus, jure civitatis donatus  
 est. Tantam sibi inde conciliabat nomi-  
 nis sui famam, ut non solum a Calisto III.  
 Romam adscitus, eidem ab epistolis esset,  
 sed etiam Pio II. Pontifici in paucis ca-  
 rus

---

*ex Papiensi Spondanus recitat, cum ipse omit-  
 tat, etiam citationem omittere debuisset; cum  
 autem Continuator haud raro ejusmodi incuria  
 reus sit, saltem semel Lectorem de ea admonere,  
 haud abs re fore censuimus.*



rus, primum Episcopus Cortoniensis in Sæcul. XV.  
 Calabria, deinde Teramensis in Aprutio A. C. 1470.  
 Præful crearetur, tandem vero ab ipso  
 Paulo II. Archipresbyter sancti Eustachii  
 renunciaretur. Idem jamjam Teramen-  
 sis Episcopatus dignitate decoratus flo-  
 rebat, dum apud Udalricum Han sive  
 Gallum, qui inter Typographos primus  
 Romæ sedem figebat, corrigendi typi offi-  
 cium obierat. Ejus curæ atque solertiæ  
 eximias editiones, quæ ex eodem pre-  
 lo prodibant, in acceptis referre debe-  
 mus. Hanc præfati Episcopi occupa-  
 tionem silentio haud prætereundam cen-  
 suimus, eoquod per eam non solum vitæ  
 suæ gloriam auxit, sed etiam liberalium  
 artium amor, sanumque judicium, quo  
 eminebat, dispicitur; Præcipue vero ma-  
 gnum sibi conciliabat nomen per oratio-  
 nes funebres, quibus Calisto III. & Pio II.  
 parentabat, eorum quoque vitæ histo-  
 riam, necnon Andreæ Braccii præclari  
 admodum Belliducis gesta concinnavit,  
 pluraque alia tam soluta, quam nume-  
 ris adstricta oratione de diversis argu-  
 mentis opera posteritati reliquit. Obiit  
 Senis anno Domini millesimo quadrin-  
 gentesimo septuagesimo septimo, æta-  
 tis quinquagesimo.



Sæcul. XV.  
A. C. 1471.

§. XCI.

*Contentio de prærogativa loci inter  
S. R. I. Electores, & Burgundiæ  
Ducis Legatos.*

Auditis hisce in conventu Ratisbonensi orationibus Principes in alium locum secedebant, atque inter se aliquamdiu secreto colloquentes, demum gratias Imperatori rependebant, quod Germanicæ libertatis, & publicæ salutis curam in se suscepisset, simulque declarabant omnes, quod juxta ejus mandatum & vitam & bona pro bello adversus Turcas exponere parati essent, eumque, si ipse ad hanc expeditionem procederet, comitari velent. Altera die rursus conventus habetur, in quo per tres omnino horas actum est de dirimenda lite, quæ inter S. R. I. Electores, & Burgundiæ Ducis Legatos circa sedendi prærogativam exorta fuit. Illi primum sibi locum deberi contendebant, eo quod prima Sacri Romani Imperii membra essent, ac propterea nequidem Regibus primas partes concederent. Ex adverso Burgundiæ Oratores Principis sui potentiam in Galliis, & in Germania maximam obtendebant. Hæc contentio, ut utrinque tolleretur, Burgundiæ Ducis Oratores e regione sedis, quæ pro Cæsare erecta erat, medii inter



ter Oratores Regios collocabantur. His Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
ita compositis Burgundiæ Ducis Legati  
primi surgebant, ac eorum unus orationem habuit, quæ tamen tempori, ac loco parum congrua erat; quippe profusus in criminando Gallorum Rege, fatis autem parcus in proposito belli Turcici argumento fuit.

## §. XCII.

*Veneti Legati Oratio.*

Alteram orationem, eamque brevem ac conciso stylo conceptam Paulus Morosinus Venetorum Legatus dixit, exposuitque, quod Veneti jam per ducentos omnino annos arma Turcis inferrent, eorumque vires ac impetus non modo in Thracia, sed & in Illyrico soli sustinuisent, tam felici successu, ut hostium suorum potentia ac victoriæ nonnisi per Christianorum Principum socordiam crevissent; nihilominus, subjunxit Legatus, nondum desperatum est de Turcarum everfione, dummodo Germani rem strenue agredi velint; agitur enim de vita, suorumque libertate, ac totius populi salute. Habemus nos Veneti in promptu ingentem classem, necnon in Græcia & Illyrico valida admodum præsidia; Ferdinandus quoque Neapolis Rex classem suam nobis præsto futuram promisit; unde

de



Sæcul. XV  
A. C. 1471.

de si æquali studio etiam Germani Principes suppetias mittere velint, brevi Religio a periculo eximetur. Jamjam idem Ferdinandus nobis viginti tres triremes, & quatuor naves onerarias submisit, ac insuper in nostrum auxilium alia instruit navigia, quæ si præter alias naves nostras illis sexaginta triremibus adjungentur, quas Respublica paratas, ac valide instructas tenet, brevi hostis ad fugam compelletur, præcipue si simul eidem bellum terra interatur. Tandem Legatus sermonem suum his verbis absolvit: Imperator magis intentus est iis, quæ instant in præsentia, quam quæ futura sunt, ac præterea exiguam spem præbere videtur illius auxilii, quod ab eo petitum fuit; cum tamen absque illius ope secundus successus adversus Infideles haud sperari valeat.

§. XCIII.

*Decretum Ratisbonensis Conventus.*

Tandem decima nona Julii post crebras consultationes ultro citroque habitas communi consilio sancitum est, ut quivis, cujus reditus ad annuos mille aureos ascendunt, equitem unum conscriberet, peditem vero alerent illi, qui non nisi quingentos aureos ex suis redditibus percipiunt; ceteri autem pro ratione facultata-



cultatum suarum militum supplementa suppeditarent. Si vero, nonnullorum reditus certo definiri non poterunt, hæc exactio viritim dividatur, ea ratione, ut illi, qui non nisi mille aureos in bonis suis habere creduntur, idem contribuant, ac si non nisi quinquaginta aureos proventuum nomine perciperent. Sperabant Principes, quod hoc pacto validus contrahi posset exercitus, & facillime diuturnum etiam bellum sustineri. Nec deerant, qui affirmarunt, si penitus res inspiciatur, nullo ferme negotio ducenta prope bellatorum millia cogi posse. Verum cuncta ista adeo speciosa consilia evertit solita Principum socordia, nec Imperator ea exequi sollicitus erat. Unde Krantzius asseruit, *Germanos, nec sonoro Pontificis hortatu, nec strepentibus Turcarum victoriis, nec clamorosis desolatæ Religionis Christianæ ejulatibus somno suo fuisse excitatos.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

Krantz. l. 15  
Wandal. c. 5.

§. XCIV.

*Pauli II. summi Pontificis obitus.*

**P**aucis post absoluta Comitibus diebus nocte, quæ diem inter vigesimam quintam ac vigesimam sextam Julii fluxerat, Paulus II. summus Pontifex apoplexia tangebatur, ac nemine adstante, nulloque opem ferente extinctus est, quamvis

Platin. in  
Paul. II.  
Cæcon. Vitæ  
Et gesta  
Pontif.  
Spond. ad  
hunc an.

vis



Sæcul. XV. vis eo adhuc die sacrum Purpuratorum Se-  
 A.C. 1471. natum habuisset, ac pro more suo cœ-  
 nasset. Imo referunt nonnulli, illum in  
 hac eadem congregatione tanta ingenii  
 perspicacia, ac animi magnitudine per-  
 orasse, ut totius Sacri Collegii admira-  
 tionem in se rapuerit. Annos vixit æ-  
 tatis quinquaginta tres, quinque menses,  
 ac dies tres, sedit annos sex, Menses de-  
 cem cum viginti tribus diebus. Fuit  
 Paulus postremus (\*) inter summos Pon-  
 tifices, quorum vitas Platina in sua Hi-  
 storia de Romanis Pontificibus descripsit,  
 & Onuphrius Veronensis Ord. S. Augu-  
 stini Alumnus continuavit. Ceterum  
 Protestantes impudentissimo ore, atque  
 atrocissimis convitiis hunc Pontificem in-  
 sectantur, eoque temeritatis progressi  
 sunt, ut eum in adulterio deprehensum a  
 Marito strangulatum fuisse comminisci non  
 erubuerint, quod tamen nonnisi insignis  
 est calumnia, putidumque mendacium.  
 Paulus Papa quædam decreta. atque E-  
 pistolas posteritati reliquit, necnon tra-  
 ctatum

(\*) Optime Palatius in vita Pauli II. obser-  
 vat, quod primi ordinis Auctores Platina hi-  
 storiam in Pio II. clauservint, atque animadver-  
 terint, vitam Pauli II. a Platina non historico  
 exaratum calamo, seu stylo ferreo & satyri-  
 co carmine in odium, & vindictam injuria,  
 quam passus erat.



Statum de regulis Cancellariæ, quæ eidem Sæcul. XV.  
adscribuntur. A. C. 1471.

## §. XCV.

*Electio Francisci Ruverri in Papam  
sub nomine Sixti IV.*

Abolutis Pauli Papæ exequiis, Cardinales ingressi sunt conclave numero haud plures quam septendecim, ceteris Roma absentibus, atque ob inopinatam & subitanam Pontificis mortem accessu præventis. Hi Successorem eligunt Franciscum de Albexola Ruverrum, Cardinalem tit. S. Petri ad vincula, qui die nona Mensis Augusti assumpto nomine Sixti IV. in summum Pontificem proclamatus est. Annum agebat circiter quinquagesimum tertium, cum sub Pontificatu Joannis XXIII. Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo quarto primam lucem aspexisset; Fuit a Paulo II. Pontifice, cui oppido carus erat, quarto ante ejus obitum anno purpura decoratus, non quidem absque quorundam æmulatione, qui ob senii prærogativam præferri sperabant, nec tamen Francisci electioni utpote manifesto meritorum suffragio factæ obsistere audebant. Priusquam Sacro Cardinalium Collegio adscriberetur, in variis Italiæ scholis longe celeberrimis publice Philosophicas tra-

*Hist. Eccles. Tom. XXIX. A a didit*



Secul. XV. didit disciplinas, & Bessarione Cardinale  
A.C. 1471. peritissimo græci atque latini idiomatis  
 Magistro Papiæ usus, ac intima illi familiaritate junctus erat. Demum purpura ornatus, tam præclaro virtutum exemplo prælucebat aliis, ut aula sua in asceterium migrasse videretur; licet enim dignitatis suæ munia exacte obiisset, nunquam tamen mentem suam ab assiduo literarum studio sejunxit, prout relicta posteris ingenii sui monumenta testantur.

## §. XCVI.

*Sixti IV. Pontificis Familia.*

Hujus Pontificis electionem potissimum suffragio, atque auctoritate sua promovebant Cardinalis de Ursinis Romanus, Rodericus Borgias Pro-Cancellarius, & Franciscus Gonzaga Cardinalis Mantuanus. His ut Papa grati animi obsequium præstaret, ante omnia obtentis Pontificatus honoribus, Ursinum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarium creabat, Borgiam vero S. Jacobi, & Gonzagam S. Gregorii Abbatiis locupletabat. Ceterum inaugurationis suæ solemnia die vigesima tertia Mensis Augusti (\*) celebrata

(\*) Pagius in suo Breviario Roman. Pontific. ad hunc annum scribit: *falso, & absque auctoritate*



brata fuere. Tanta illuc concurrebat po-  
puli frequentia, ut Papa ad S. Joannis  
Lateranensis Ecclesiam ægre admodum,  
præpediente confluentium multitudine,  
deduci potuisset, nisi Cardinalis Urfini  
auctoritas confertissima vulgi agmina  
dissipasset.

Hunc Pontificem ex illustri Familia  
descendisse haud credimus; potissimo-  
rum enim Scriptorum fide discimus, eun-  
dem Patre Leonardo de Ruverre Piscatore  
natum esse Cellis, (pagus est quinque  
leucis Savonna urbe diffitus;) imo non  
desunt, qui ipsummet Piscationis, vel  
saltem rei nauticæ artem exercuisse refe-  
runt (\*), quamvis Onuphrius illum no-  
bili loco natum contendat, ejus tamen  
opinionem refragatur Bernardus Justina-  
nus, qui ad eundem Papam a Veneto  
Senatu Orator mittebatur, ut ei debitæ  
obedientiæ obsequium præstaret.

Sæcul. XV.  
A. C. 1471.

Onuphr. in  
Sixt. IV.

Hic

*ritate Continuator Historiæ Ecclesiasticæ D.  
Fleury inquit, Sixtum IV insignia coronationis  
suscepisse die vigesima tertia Augusti; postea  
vero idem Pagius luculenter demonstrat, quod  
die vigesima quinta ejusdem Mensis fuerit in-  
auguratus.*

(\*). Hæc Olduinus in additionibus ad Cia-  
conium solide confutat.

A a 2



Sæcul. XV. Hic enim orationem habuit, in qua Pa-  
A.C. 1471. pam neo-electum non a nobilitate ge-  
 neris, sed a propria virtute & scientiæ  
 eminentia commendat. Forte res ita se  
 habuit, quod Familia Ruverrea, cum Pon-  
 tifici Romano idem generis sui nomen  
 inditum cerneret, honori sibi duxerit,  
 si eundem Stirpi suæ, ut ita dicam, in-  
 fereret, atque adoptaret. Utut hæc  
 sunt, id omnino certum est, quod Ruver-  
 rus Religione Franciscanus, ac sui Ordinis  
 Minister Generalis electus, demum  
 a Paulo II. potissimum ad preces Bessa-  
 rionis Cardinalis sacro Purpuratorum  
 Collegio adscriptus fuerit.

## §. XCVII.

*Borsius in possessionem Ferrariensis  
 Ducatus inauguratus.*

Borsius Estensis Marchio, Dux Muti-  
 nensis, de Ecclesia optime meritus,  
 a Paulo II. paucis ante obitum mensibus  
 in jure Ferrariensis Ducatus confirma-  
 batur. Igitur splendidissimo apparatu,  
 quo magis magnificentum nulla retroacti  
 sæculi memoria tulit, medius inter duos  
 Cardinales Romam ingreditur. Comi-  
 tabatur eum Franciscus de Gonzaga  
 Mantuanus Princeps, quocum a porta  
 Flaminia ad Palatium summi Pontificis  
 delatus, ab eo decima quarta Aprilis ipsa  
 Pascha-



Paschatis die inter Missæ solemnias in Ferrariæ Ducem inauguratus est. Hanc <sup>A.C. 1471.</sup> conditionem tanquam Vicarius Sedis Apostolicæ hucusque possederat, nunc vero illam Paulus II. ad Ducatus prærogativam evexerat, eo fine, ut Borsium, quem Fridericus Imperator antea Mutinæ & Regii Ducem creaverat, in Ferrariensis quoque ditionis possessione pari prærogativa firmaret.

## §. XCVIII.

*Borsii Ferrariensis Ducis obitus.*

Ceterum Borsio haud diu Ferrariensis Ducis dignitate frui licebat; quarto enim circiter post mense die vigesima Augusti rebus humanis ereptus est, & ingenti pompa, atque luxu sepultus in Coenobio Carthusianorum, quod ipse Ferrariæ condiderat. Huic successit Hercules spurius ipsius frater; ipse enim, cum nulli unquam thoro sociatus esset, liberis carebat.

## §. XCIX.

*Mors Georgii Podiebracii Bohemice Regis.*

Hoc eodem anno die vigesima secunda Martii mortalitatem exiit Georgius Podiebracius Bohemice Rex. Hic cum se a summo Pontifice exauctoratum, &

*Cochl. Hist. Hussit. l. 13. sub fin. Michov. l. 4. cap. 62.*



Sæcul. XV  
A.C. 1471.

a Matthia Hungariæ Rege bello acriter pressum cerneret, ac insuper a potissima suorum parte derelictus esset, saltem sibi juxta arbitrium suum successorem eligere statuit, quem & elegit, quamvis ferme ipsi successu. Varia enim fuere hac de re ipsius consilia; modo enim Poloniæ Regem nominare voluit, ut fidei datæ satis faceret, qua in eundem Successionis jura ad Bohemiæ Regnum transferre promisit, modo in Matthiam Hungariæ Regem propendebat, spe fretus, se hoc pacto libertatem Victorino filio suo procuraturum: nunc cum summo Pontifice, a quo exauctoratus, sacrisque interdictus erat, in gratiam redeundi desiderium præseferbat; sed tandem huc illucque fluctuantem Podiebracii animum Mors anxiiis hisce curis exemit. Sepultus est Pragæ in monumento Regum exigua admodum pompa. Rochisana aliquanto ante Regis sui obitum itidem e vivis excessit, qua vero die ignoratur.

§. C.

*Ladislavus Regis Poloniæ Filius  
Podiebracii Successor.*

Bohemi Podiebracio fati functo comitia agunt, eo fine, ut Wladislaum seu Ladislaum primogenitum Regis Poloni filium Regni successorem eligerent.  
Erat



Erat is tum nonnisi quindecim annorum Sæcul. XV. A.C 1471.  
 adolescens, Matremque habuit Ladislai  
 Sororem. Hunc Pater ejus quantocius cum  
 valido exercitu in Bohemiam misit; ti-  
 mebat enim, ne filius ejus præveniretur  
 a Matthia Hungarorum Rege, qui illius  
 electionem ægerrime ferebat, eo quod  
 ipse jam olim auctoritate Pontificis atque  
 Imperatoris a Bohemis Christianæ Reli-  
 gioni addictis vivente adhuc Georgio Po-  
 diebracio ad Regni hujus coronam vo-  
 catus esset.

Verum Matthias eo tempore tam ad-  
 versa premebatur fortuna, ut novi hostis  
 potentiam sibi accersere minime consul-  
 tum esset: hinc enim Turcæ Regnum  
 Hungariæ eripere moliebantur: illinc  
 Episcopi, ac Regni Proceres seditionem  
 movebant, atque adversus eum ob im-  
 modicam tributorum exactionem, &  
 asperiores Regiminis normam conspira-  
 tionem prorsus perniciosam conflagant,  
 quin etiam jamjam Hungari Casimirum  
 natu minorem Regis Poloniæ filium sibi  
 in Regem poscebant. Matthias ta-  
 men spretis omnibus hisce infestæ for-  
 tunæ casibus, nihil magis iniquo tulit  
 animo, quam injuriam a Bohemis nuper  
 acceptam: Unde quamvis proprii sui  
 Regni jactura sibi proxime impenderet,  
 nihilominus alieni Regni sibi denegati  
 contumeliam ulcisci omni ope & opera

*Bonfin. 4.*

*dec. 2.*

*Michov. l. 4.*

*cap. 62.*

*Cromer. l. 27*

*Dubrav. lib.*

*30. & 31.*



Sæcul. XV. contendebat, licet illud ob virium impotentiam haud possidere posset, nec potentiora ei, quam cuivis alteri Principi, in Bohemiam jura suffragarentur. (\*) Igitur vindictæ cupidine flagrans Bohemiam incursionibus & incendiis totam, qua late patet, devastat. Tandem vero arma in præcipuum hostem suum convertit, ac Casimirum juniorem e Regno Hungariæ propellere omnibus viribus adlaborat; valuitque successus. Nihilominus tamen Wladislaus a Bohemis Rex coronatur, & Pragæ vigesima prima die Mensis Augusti ab Episcopis Catholicis ungitur, Regni que sui possessionem salvam, firmamque sibi soli asserit.

§. CI.

(\*) *De Principum Juribus velle judicium ferre, nec Historici partes exigunt, nec debita coronatis cervicibus reverentia permittit. Quanta æquitate Matthias Bohemiam sceptrum sibi vindicare potuisset, primo obtutu in Austria atque Hungariæ Annalibus perspicitur; nobis intra Historiæ Ecclesiasticæ limites subsistentibus dixisse sufficiat, Matthiam jam puerum a summo Pontifice ad hanc coronam fuisse vocatum, eamque proprii sanguinis pretio pro fidei conservatione contra Turcas effusi emeritum fuisse.*



§. CI.

*Eduardus ope Burgundiæ Ducis  
in Angliam redux.*Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

**E**duardus totus in eo erat, ut Burgundiæ Ducem ad ferenda sibi auxilia permoveret: Hic vero postulata concedere cunctabatur, eoquod non modo Henricum velut Regem legitimum veneraretur, sed etiam Lancastriensium invidiam pertimesceret, præcipue in ea rerum vicissitudine, ubi isti in Anglia dominatum exercebant, ac Gallis foedere juncti erant. Nec tamen inde Eduardus spe sua dejici poterat, sed Burgundiæ Ducissam Sororem suam impense rogat, ut Ducem Maritum suum ad suppetias ei mittendas urgeret. Nec consilium eventus fefellit: Quippe Eduardus præter trecenta florenorum millia, trium etiam navium subsidio auctus a Burgundo discessit, eumque piratæ, quos Ostrelinos vocant, comitabantur, & pacta pecuniarum summa spondebant, se ejus latera toto itinere stipaturos, nec nisi decimo quinto die, ex quo in terram exscendisset, ab eo recessuros; Igitur maris committit, quamvis non nisi duo armatorum millia secum duceret; secundis tamen ventis utebatur, altoque mari decurrens, prospera navigatione in Angliam

*Polyd. Virg.  
gil. Histor.  
Angl. l. 24.*

Aa 5

descen-



Sæcul. XV. descendit. Eo tempore Londino absens  
A. C. 1471. erat Varvicensis Comes, eoquod maximi  
momenti negotia eum ad Septentriona-  
les Regni plagas evocassent, unde illuc  
suas quoque copias abduxerat. Præter-  
ea Clarentiæ Dux hucusque Henrici par-  
tibus addictus, Eduardum aggrediendi  
prætextu Londino excessit, re ipsa tamen  
cum omnibus, quotquot tumultuario co-  
natu colligere poterat, militibus fratri suo  
in auxilium obviam processit, ac palam ab  
Henrico defecit. Eduardus igitur hisce  
suppetiis suffultus, recta Londinum petit,  
& aperta confestim urbis porta festive a  
Londinensibus excipitur, necnon Henri-  
cum capit, eumque rursus turri includi  
jebet, nemine prorsus obsistente.

## §. CII.

*Varvicensis ab Eduardo ad prælium  
provocatus.*

*Polyd. Vir-  
gil. Histor.  
Angl. l. 24.* Eduardus, postquam alteram nonnisi  
diem Londini morabatur, cum suis  
fautoribus inde discedit, ut Varvicensi  
Comiti magnis itineribus accurrenti sese  
opponeret. Jam in conspectu utraque  
acies erat in quodam campo, qui haud  
procul ab urbe Barneta Londinum & op-  
pidum S. Albani interfecat. Varvicensis  
Clarentiæ Ducis defectione commotus,  
nequidem copias, quas Margarita ex  
Galliis



Galliis cum Filio suo & Pembruckio Co-  
 mite in auxilium adduxerat, expectare  
 veluit, sed proelium inire omnino decre-  
 vit; quippe satius fore censebat dubiæ  
 fortis discrimen subire, quam diutius  
 vindictam differre.

Sæcul. XV,  
 A.C. 1471.

§. CIII.

*Varvicensis prælio devictus, ac unacum  
 fratre suo occisus.*

Verum Varvicensi præceps hoc consi-  
 lium vitæ & victoriæ impendio ste-  
 tit. Equidem prior ipse Eduardum ag-  
 greditur, cunctisque agminibus rite com-  
 positis in eum tanta animi fortitudine ir-  
 ruit, ut primo impetu per medias hostium  
 phalanges ad ipsam Eduardi legionem  
 penetraret. Tum vero Rex, ut suos un-  
 dique circumfusus periculo eriperet, quic-  
 quid virium habebat, impendere coge-  
 batur.

Diu ancipiti Marte pugnatum, donec  
 tandem manus militum, quos Eduardus  
 ad subitos proelii casus sepositos tenebat,  
 Regis sui exemplo plurimum excitare-  
 tur, ac peropportune tanta vincendi  
 aviditate in hostem irrumperet, ut Var-  
 vicensis recenti milite destitutus, ac im-  
 petum sustinendo impar profligaretur, &  
 ipse una cum Montis-acuti Marchione  
 fratre suo occumberet, desideratis etiam  
 suorum



Sæcul. XV. suorum decem millibus & amplius. Pro-  
A.C. 1471. lium hoc commissum erat ipso Paschatis  
 die decimo quarto Aprilis. Eduardus  
 hac victoria clarus, Londinum petit, ubi  
 Varvicensis Comitis, hujusque fratris  
 corpora in Ecclesia S. Pauli exponi, ac  
 demum honorifice sepeliri jussit.

## §. CIV.

*Altera Eduardi victoria de exercitu  
 Valliæ Principis.*

Attamen alius adhucdum hostis Eduar-  
 do superandus instabat. Is erat  
 Valliæ Princeps, quem ejus Mater, cun-  
 cti suæ familiæ Principes, omnesque Lan-  
 castriensium amici comitabantur. Du-  
 cebat exercitum, ut Comminæus testa-  
 tur, quadraginta armatorum millibus va-  
 lidum: rursus igitur ad proelii necessi-  
 tatem ventum est, & Glocestriæ Dux,  
 qui primis Eduardi ordinibus imperabat,  
 Sommerfeti Ducem adoritur, tantaque  
 animi fortitudine in hostiles copias irrum-  
 pit, ut eas ingenti cæde prosterneret.  
 Infaustum hoc omen summo terrore ca-  
 stra Reginæ replebat, crevitque militum  
 trepidatio, cum primo Regem, paulo  
 post ejus fratrem a fronte, & a tergo in-  
 stare cernerent; nihilominus diu obfir-  
 mato satis animo pugnabant, ut saltem  
 generosi certaminis gloriam mererentur,  
 nec



nec impune devicti crederentur; verum Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
adeo sparsi, & incompofiti dimicabant  
Reginæ milites, ut vincendi spem haud  
reliquam facerent. Cessit igitur victoria  
Eduardo Regi, & Valliæ Princeps præ-  
lio victus inter occisorum acervos repe-  
riebatur. Id quidem Comminæus testa-  
tum reliquit, cum tamen Polydorus Vir-  
gilius referat, juvenem hunc Principem  
prælio captum ab Eduardo Rege fuisse  
interrogatum, cur ejus Regnum adeo  
audacter armis invasisset: illum vero in-  
trepide respondisse, se huc venisse, ut  
Patrem suum libertati assereret, & Avi  
sui Regnum recuperaret. Eo dicto Rex  
adolescens manu sua repulit, & abire  
jussit, illum autem e vestigio Clarentiæ  
& Glocestriæ Duces inaudita crudelitate  
trucidarunt. Princeps erat, sane beni-  
gniore fortuna dignus; omnibus enim  
longe præstantissimis Reginæ Matris suæ  
dotibus claruit, nec ullo Regis Patris  
sui vitio deformis erat.

## §. CV.

*Margarita Regina turri Londinensi  
inclusa, & Henricus in carcere  
trucidatus.*

Omnes Lancastriensis Familiæ Princi-  
pes, & potissima pars Nobilium, qui  
eisdem addicti erant, pari cum Rege  
fato

*Harpfeld.  
Hist. Eccles.  
Angl. Sæcul.  
15. 6. 4. & 5.*



Secul. XV. A.C. 1471. fato perierunt. Regina libertatem amittebat; in ipso enim certaminis loco capta, atque ad Londinensem turrin delata fuit, ubi solius Victoris beneficio vitæ suæ gratiam impetravit. Henricus ejus Conjux in eandem turrin conjiciebatur, & quamvis misera ejusdem conditio Anglis omnem de eo quicquam suspicandi metum adimere debuisset, nihilo tamen minus ibidem trucidatus occubuit. Immanis hujus, ac fœdæ crudelitatis Ministrum egit ipse Glocestrensis Dux Eduardi frater, qui furori suo haud satis datum ratus, si Regem suum se præsentem, aliena tamen manu jugulari præciperet, ipsius novo crudelitatis exemplo regium pectus ferro trajicere non exhorruit, hacque inaudita sævitia palam fecit, quod ad turpissima quævis flagitia, quibus etiam postmodum se contaminaverat, libere perpetranda proclivis esset. Talis erat Henrici Regis exitus, qui manifestum posteritati reliquit documentum, quam caduci sint humanarum dignitatum gradus. Cetera Princeps erat ingenii dotibus quidem a natura parcius, uberius vero a gratia omni virtutum genere ornatus, necnon in hominum oculis omnium infelicissimus, sed juxta Evangelii instituta perenni felicitatis gloria dignissimus. Despectui habebatur ab hominibus, & si Comminæo credimus, imbecillis ac imprudens,



prudens, imo & stolidus, atque exiguo Sæcul. XV. A.C. 1471.  
 pollens iudicio credebatur; Verum Deus  
 illius humilitatem sublimem reddebat  
 miraculorum gloria, quæ ad ejus sepul-  
 chrum patrata fuisse narrantur, ob quæ  
 cultu ac honore Sanctorum coli prome-  
 ruit. Annum ætatis agebat quinquage-  
 simum secundum, Regni sui trigefimum,  
 continuis variæ fortunæ ludibriis exposi-  
 tus. Corpus ejus primo Londini in Mo-  
 nasterio Benedictinorum sepultum est,  
 inde vero postmodum Windesoram, ubi  
 natus erat, in Ecclesiam S. Georgii trans-  
 latum. Fuit Conditor Collegii regii Can-  
 tabrigiensis.

## §. CVI.

*Pembruchii, & junioris Richemundiæ  
 Comitis fuga.*

**D**efuncto Henrico Lancastriensium no-  
 men, ac propago penitus deleta est;  
 Eduardus enim tanta cædis aviditate in  
 hanc familiam furebat, ut etiam illos,  
 qui ex materna hujus nominis stirpe de-  
 scenderent, ad necem quæreret. Hos  
 inter erat Henricus Richemundiæ Co-  
 mes adhuc puer, qui Eduardi ambitio-  
 nem non effugisset, nisi Pembruchius Co-  
 mes illius Patruus eundem e proelio sub-  
 ductum secum amica vi abstraxisset.

## §. CVII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

§. CVII.

*Uterque ventorum vi in Britanniam  
delatus, ibidemque a Duce captus.*

Rex bina hac victoria elatus, in Wal-  
liæ Principatum Thomam Wagh-  
amum ablegat, dato negotio, ut clam ac  
sine armorum strepitu Pembruchium ac  
Richemundiæ Comitem caperet. Ve-  
rum Pembruchius de periculo edoctus,  
Waghami consilia non modo prævenit,  
sed & insidias in caput suum structas  
tanta dexteritate retorfit, ut hunc emis-  
sarium in itinere comprehenderet, ac tru-  
cidari juberet. Postea tamen Pembru-  
chius in sua arce cingitur, sed opportune  
elapsus, unacum Richemundiæ Comite  
Nepote suo navem conscendit, in Gal-  
lias sese recepturus. Ast ventorum in-  
juria ad Britanniaë oras ambo protrudun-  
tur, ubi exscensione facta Nannetem  
contendunt, Ducem adituri. Prolixior  
adversæ fortunæ, qua uterque jactaba-  
tur, narratio adeo Ducis animum ad mi-  
serationem commovit, eosque perbenigne  
exceptos, in fidem suam accepit; unde  
superatis tempestatibus se in securitatis  
portu tranquille subsistere arbitrabantur;  
verum Eduardus, cum nonnisi utriusque  
captivitate rebus suis consultum iri existi-  
maret, comperto eorum in Britanniam  
adven-



adventu ad Ducem suos Legatos decre- Sæcul. XV.  
 vit, qui ambos, A.C. 1476. ve: saltem Henricum  
 Comitem ad se remitti peterent. Verum  
 Kenletus Duci in paucis carus, re com-  
 perta Britannum, ne Eduardi votis an-  
 nueret, dehortabatur, eidemque ingenti  
 rationum, verborumque vi exponebat,  
 quod indignum Principis facinus esset,  
 jura gentium violare, fidemque miseris  
 adeo religiose datam ad unius vocem  
 frangere; his permotus Dux palam con-  
 testatus est, sibi a pactis, promissisque  
 discedere, integrum non esse, nec se un-  
 quam, prodita fidei publicæ Religione,  
 Comitem Eduardi manibus traditurum.  
 Hoc responso ad quemdam Angliæ Le-  
 gatum delato, ipse indignabundus Comi-  
 tis vitæ insidias struere cœpit; frustra-  
 neo tamen molimine; provida enim Bri-  
 tannorum consilia cunctos, quos parave-  
 rat laqueos, feliciter diruperunt, nec  
 Eduardus a Britanniae Duce aliud impe-  
 trare poterat, quam ut ipse pollicere-  
 tur, quod Richemundiae Comitem capti-  
 vorum more detineret, nec ullo pacto li-  
 bertati redderet. Hanc conditionem  
 Henricus Comes suasu atque instinctu  
 Kenleti acceptabat.



Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

§. CVIII.

*Res Castellæ, atque Arragoniæ.*

*Marian hist.  
Hispan. lib. 23.  
cap. 16.*

In Castellæ Regno Proceres plurimum intenti erant, ut excogitarent media, quibus Episcopos inter & Henricum Regem concordia redderetur; hanc in rem impetratum est a summo Pontifice, ut Segobiensis Antistes infra trimestre Romam venire juberetur, & Toletani Archiepiscopi causa quatuor Sacerdotibus committeretur, demum vero instructa iudicii acta Romam mitterentur. Verum hæc ipsa causæ cognitio conjuratorum molimine impedita est. Magis secunda Arragoniensibus rebus adfuit fortuna; hi enim recuperata Gerunda urbe, hostes suos ingenti clade cæsos in fugam egerunt.

§. CIX.

*Lusitani Regis bellum in Africa.*

Alphonsus Lusitaniæ Rex victricia sua arma ad Africanas etiam oras extendere parabat; unde plurimis Regni sui Proceribus stipatus, in Africam trajecit, ibidemque mense Augusto secundis ventis appulit. Adeo valida, ac mire instructa erat Alphonsi classis, ut similem provectior Majorum ætas ignoraret; numerabat enim navigia partim majora, partim



partim minora trecenta & amplius cum Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
 triginta armatorum millibus. De tenenda itineris, cursusque ratione seria Regem deliberatio tenebat; Tingim enim urbem primo aggredi inconsultum videbatur, Regemque nuperæ cladis memoria absterrebat; ergo ad civitatem Arzillam jactis anchoris classem sistit, ac nemine obnitente, milites suos in terram exponit, urbemque impetu facto expugnat, duobus Maurorum millibus desideratis, captisque circiter quinque millibus; Expugnata urbe tam opima victoribus præda cessit, ut octingenta Hispanorum aureorum (\*) millia colligerentur, quæ Rex inter milites suos, qui in hac expeditione ceteris magis præclara fortitudinis suæ specimina edebant, distribuit, ac infidelium delubrum, quod *Moschæam* appellant, in Ecclesiam sub invocatione B. Virginis assumptæ erexit, Arzillensis vero urbis Præfectura Henrico de Menesez Valentisæ Comiti, necnon Alcasariæ Gubernatori demandata est. Hæc urbis expugnatio Tinginensibus tantum timorem, terroremque incussit, ut & ipsi relicta sua civitate, fugam arriperent. Re com-  
 perta

(\*) Vulgo hæc Moneta apud Lusitanos vocatur *CRUISADE*, quæ in valore suo sexta parte Imperialem excedit.



Sæcul. XV A.C 1471. perta Rex confestim admoto exercitu die vigesima octava Augusti Tingin ingreditur, & Rodericum de Mello postea Oliventiæ Comitem urbis imperio honorat, ipse vero classem suam salvam, atque incolumem in patriam reducit.

## §. CX.

*Pontificis sollicitudo de bello Turcico.*

*Papiens. ep.* *407.408.414* *Et seq.* Sixtus IV. neo-electus Pontifex acceptis Ecclesiæ clavibus ad componendas Christianæ Reipublicæ causas serio animum adjecit, simulque Concilium in Palatio Lateranensi congregandi desiderium præsetulit, ut in eo tam de disciplina morum restauranda, quam de bello adversus Turcas gerendo ageretur, ac demum Pii II. consilia ad effectum deducerentur. Attamen Fridericus Imperator Papæ votis oblectari videbatur, ac Synodum Romæ celebrari renuebat; quapropter re in longum protracta, alia demum remedia excogitare oportuit. Ergo ex sacri Collegii consensu sancitum, ut Pontifex quatuor Legatos plena auctoritate munitos nominaret & Bessarionem Cardinalem in Gallias, Cardinalem Borgiam Vice-Cancellarium in Hispaniam, Marcum vero Barbum Cardinalem Aquilejensem in Germaniam, & Hungariam ablegaret, qui dissidentes in illis regionibus Principes



pes ad concordiam reducerent; Caraf-  
 sam autem Cardinalem classi in Turcas  
 instructæ præficeret. Missi pariter sunt  
 per omnia regna, qui ad bellum Turci-  
 cum ex decreto Conventus Mantuani  
 decimas Cleri, vicesimas Judæorum, &  
 trigemas Christianorum Laicorum colli-  
 gerent, & indulgentias quoque ac gratias  
 promulgarent omnibus, qui vel ex suis  
 bonis eleemosynas conferrent, vel ipsimet  
 in hoc bello arma fumerent, vel quem-  
 piam sui loco mitterent. Papa etiam da-  
 tis literis Imperatorem, Reges, cunctos-  
 que Principes rogabat, ut & ipsi omnibus  
 modis ad tam sanctum, piumque opus  
 concurrerent. Papiensis Cardinalis, quem  
 summus Pontifex assumpto mox Papatu  
 Hungariæ (\*) Legatum, ut tumultus ibi-  
 dem suscitatos sedaret, decreverat, quin-  
 tam legationem memorat, ad quodnam  
 vero Regnum Legatus missus fuerit, non  
 exprimit. Sub idem tempus idem Roma  
 literas accepit, in quibus eidem signifi-  
 catum, quod Papa duos Cardinales ætate ju-  
 venes creaverit; de horum autem electio-  
 ne, necnon de præfatis legationibus ad  
 de-

Sæcul. XV.  
 A. C. 1471.

(\*) Typi errore Verbum Hungariæ irrepssisse  
 credimus, & legendum Umbriæ putamus; Pa-  
 piensem enim unquam in Hungariam legatum  
 fuisse missum nullibi legimus.



Sæcul. XV. designatos Oratores, aliosque amicos  
 A.C. 1471. suos perscribens, inquit, vereri se, ne  
 omnes hæ legationes penitus sperato  
 fructu destituantur (\*) id quoque exitus  
 demonstrabat. Post hæc vehementer  
 queritur, quod Papa juvenes hosce duos  
 Prælatos Purpuratorum Collegio ex ea  
 potissimum ratione adscripsisset, ut hæ  
 Pontificatus onera levarent; hæc enim  
 causa ad Papiensem fuit perscripta; un-  
 de exclamat: Quid ergo nos alii? nunquid  
 non & Cardinales ad hæc levanda onera uti-  
 les sumus? Illo ipso prætextu quid arguitur  
 aliud, nisi deesse in nobis, & tanto Patrum  
 numero, qui sublevare Pontificem possint.  
 Gravius adhuc queritur de Papa, eoquod  
 legibus in Conclavi sancitis se subjicere  
 renueret, cum tamen ipse, ut illæ con-  
 derentur, ceteris vehementius institisset.  
 Posthæc rationes a Papa allegatas con-  
 futat, præcipue illam, qua Pontificem  
 nullis legibus adstringi assererat. (\*\*)

§. CXI.

(\*) Papiensis in epistola 407. sic habet: Satis  
 vereor, ne legationes hæ vestræ plus tumultus  
 sint habituri, quam fructus.

(\*\*) Idem Cardinalis in epistola 421. hanc ra-  
 tionem non impugnat velut falsam; qua enim ra-  
 tione sanum sensum admittat, nemo Theologorum  
 est, qui ignorat; nec Papiensis Pontificem ex eo  
 redarguit, quod se NB. nullis legibus adstrictum  
 crede-



## §. CXI.

*Duo Pontificis Nepotes in Cardinalibus assumpti.*Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

**D**uo illi Cardinales, de quibus Papiensis loquitur, erant Julianus de Ruverre ex fratre Pontificis Nepos, viginti septem annorum juvenis, qui postea in Papam electus nomen Julii II. assumpsit. Alter fuit Petrus Riarius Ordinis S. Francisci Alumnus ex Sorore Sixti Papæ item Nepos. Hic tanta auctoritate valebat apud Avunculum, ut non modo plurium beneficiorum redditibus augeretur, verum etiam amplissima totius Italiæ legatione honoratus esset. De eo Onuphrius hæc verba scripsit: *Ita splendidus erat, ut pecunie perdendæ natus fuisse videretur; nam eo biennio, quo tantum post-*

*Addit. Vi-*  
*tor. ad Ciac.**Papiens. ep.*  
*528. 529.**et 543.**Onuphr. in*  
*Sixt. IV.*

*crederet, sed propterea, quia cum Papam legibus ligari posse negaret, has tamen leges condi voluerit Percipiamus ipsa Papiensis Cardinalis verba: Sum memor, cum hisce de legibus in conclavi ageretur, dissuasisse me multum ne fierent; videbam enim illas olim Pontificibus ingratas fuisse. Nemo vehementius illas suasit. Nemo mihi durius obstitit eo ipso, qui nunc, audientibus nobis, ligari posse Pontificem negat. Si ligari non potest, cur ut ligaretur, pugnabat? Si ligari potest, cur tantopere est sibi adversus?*

B b 4



Sæcul. XV. *ea supervixit, ducenta aureorum millia in  
A.C. 1471. victu absumpsisse, sexaginta vero æris alieni  
reliquisse traditur. Obiit voluptatibus con-  
fectus annorum viginti octo Juvenis. De-  
nique de profusa ejusdem liberalitate, ludis publicis, quibus populum recreabat,  
necnon de conviviiis, aliisque ejusmodi prodigalitatibus forte pejoribus exstat epi-  
stola Cardinalis Papiensis. Præterea au-  
ctor orationis funebris, quæ in ejus exe-  
quiis dicta in Continuatore Ciaconii repe-  
ritur, de eo hæc habet: *Quingentos ferme  
alebant domesticos, hos illustri, illos nobili,  
omnes honesto loco natos, Antistites, Docto-  
res, Oratores, Poetas, aut alicujus alterius  
honestæ artis studiosos, dicere solitus: se  
omnium honestorum Virorum hospitem esse.*  
Unde cum Onuphrio haud temere inferre  
possumus, Sixtum magna in suos indul-  
gentia usum, non pauca eisdem nimia fa-  
cilitate concessisse, & fratrum sororumque  
filios, quos multos habebat, ad magnos ho-  
nores, divitiasque provexisse.*

## §. CXII.

*Canonici Regulares in Lateranum  
restituti.*

Sixtus IV. initio Pontificatus sui in Ec-  
clesiam ad S. Joannem in Laterano  
Canonicos sæculares reduxit, ejectis inde  
Regularibus, quos Romani statim post  
Pauli II. Pontificis obitum intruserant.  
Cum



Cum vero templum S. Mariæ de pace, <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 quod Sixtus Regularibus concesserat, <sup>A. C. 1471.</sup>  
 nonnisi duodecimo post anno plene con-  
 structum esset, iisdem Caraffa Cardina-  
 lis monasterium extruxit, suamque Bi-  
 bliothecam dono dedit, Papa decernente,  
 ut nihilominus iisdem semper titulum  
 ac privilegia Canonorum Regularium  
 Lateranensium haberent. Nempe adeo  
 liberalis erat Pontifex, ut nulli petenti  
 prorsus quicquam negare posset, & non  
 raro simul pluribus easdem gratias, quas  
 importunis precibus ab eo petebant, con-  
 cederet. Hac de causa subscribendis li-  
 bellis supplicibus Joannem Montmiralem  
 in Curia negotiis longe exercitatissi-  
 mum, industrium æque ac solertem præ-  
 fecit, eo fine, ut omnem contentionis,  
 ac invidiæ occasionem tolleret, simulque  
 præpediret, ne favores peterentur, qui  
 jam aliis concessi fuissent.

## §. CXIII.

*Galliarum Rex a Burgundiæ Duce de  
 pace reddenda sollicitatus.*

Jamjam Galliarum Rex oppidum sancti  
 Quintini, & Ambianum suis subjecie-  
 bat armis; Quare Burgundiæ Dux tan-  
 tis Ludovici victoriis perterritus, pacem  
 efflagitat, datisque ex Atrebatensi civi-  
 tate ad Connestabilem literis eidem belli  
 injustitiam, qua ipsemet premeretur, expo-

B b 5 nit,



Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

nit, eumque rogat, in memoriam revocaret, quod ipse fortunæ suæ incrementa Burgundi Ducis patrocínio deberet. Ast Connestabilis Burgundum ultro inlaqueos, qui ipsi parabantur, incidere gaudebat, quocirca studiose anxias ipsius curas augens, hæc respondit: Jam nunc Burgundionum Familiæ proximius, quam unquam alias, extrema impendit ruina; Ludovicus enim non modo duos exercitus ad debellandam utramque Burgundiam paratos tenet, sed etiam in duabus hisce Provinciis non paucos, quibuscum secreta communicat consilia, amicos numerat; Itaque unicum tam vicini periculi remedium superest, si filiam suam Aquitanniæ Duci despondere haud renueret; initis enim hisce nuptiis, mox benignior fortuna oppresso adspirabit. Verum Aquitanniæ & Britanniae Duces datis hanc in rem literis Burgundo multum diversa suggerebant consilia; prior enim, qui eo tempore cum Rege in castris agebat, Duci perscripsit, quod sui amici nunquam ei defuturi sint, si forte eorum auxilio indigeret: ex adverso Britanniae Dux, qui nuperrime ad eundem Regem copias adduxerat, Burgundum ferme ad desperationem adegit, hæc ei significans: actum est de salute tua, nec ultra quicquam spei superest; statuit enim Rex, quod te, quoviscunque de-

mum



num dispendio, captivum abducere velit, Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
 jamque omnia ad tuam ruinam sunt parata. Burgundus ad utramque Epistolam responsum dedit, sed Connestabilis literas tam iniquo tulit animo, ut eis non modo respondere dedignaretur, sed etiam eundem perfrictæ frontis hominem compellaret.

## §. CXIV.

*Repetitæ ejusdem Ducis preces.*

Præterea ægerrime ferebat Burgundus, quod Filiam suam nuptui dare per vim metumque urgeretur; quapropter copias conscripsit, quas delectu habito prope Atrebatum contraxit, ipseque Sommonam versus duxit, ubi Pequinia-cum urbem feliciter occupavit. Atamen, cum sub idem tempus totius Burgundici Comitatus seditionem ab Arausionensi Principe conflata intelligeret, simulque ei nuntiatum esset, quod alter Regis Franciæ exercitus ipsum quoque Ducatum infestis armis invasisset, Dux propriis suis viribus, copiisque diffusus, omnem penitus spem abjecit. Nec parum timorem augebat fama, quod Galli exercitum nuperrime a Burgundi Belliducibus tumultuarie contractum nullo ferme negotio profligassent, eoquod copiarum ad militaris disciplinæ leges compositas



Sæcul. XV.  
A. C. 1471.

*Mezerai.*  
*Synops.*  
*chronol. Hist.*  
*Franc. to. 3.*  
*in 12mo sub*  
*Ludov. XI.*

positæ deessent, quæ hostium impetus repellerent. Eodem etiam tempore Duci significabatur, a Gallis quasdam urbes fuisse obsessas, captasque; alias vero ultronee ad deditiois conditiones descendisse, ac demum reliquam Provinciæ partem, nisi in tempore validis suppetiis adjuvetur, cum Victoribus pacisci decrevisse. Dux cum obsessis succurrendo impar esset, & merito pertimesceret, ne ceteri ejus subditi metu calamitatum, quibus jamjam utriusque Burgundiæ incolas premi cernebant, animo frangerentur, pacem a Rege, qui tum Bellovaci agebat, petere statuit, datisque ad Ludovicum IX. literis, si Mezerajo credimus, eidem cuncta eorum, qui eum adversus Regem concitabant nomina, & consilia detexit; imo nuperas ei epistolas, quas a Connestabili, necnon ab Aquitaniæ & Britannæ Ducibus receperat, submit, prout alius quidam Authcr testatur. Nempe; nemo unquam acerbius aliorum fraudes patitur, quam qui ipse opportune alios fallere potuisset.

Rex, quamvis longe magis perfidam horum trium Principum temeritatem obstupesceret, quam injuria sibi ab eis illata offensus esset, nihilominus dolori suo imperandum censebat; sperabat enim Ludovicus, quod brevi Regina ejus uxor, cum uterum gestaret, masculam prolem in



in lucem ederet; nec sua eum spes fefel- Sæcul. XV.  
 lit: Regina enim enixa est Filium, nomine A.C. 1471.  
 Carolum VIII. Hinc jam non amplius  
 Rex fratris sui nuptias cum Burgundi  
 Filia ejusdem Ducatus hærede in votis  
 habebat; verebatur enim, ne Aquitan-  
 niæ Dux plurimum crescente ejus po-  
 tentia Filium recens natum, quem Rex  
 eveniente mortis casu pupillum relinque-  
 re cogeretur, regno exueret. Quare  
 nulla mora datis ad Burgundum literis  
 eidem significat, se haud gravate cum eo  
 in gratiam rediturum, ea tamen lege, ut  
 & ipse Franciæ regnum turbare cessa-  
 ret. Attamen cum Burgundiæ Dux a  
 Peronnensis concordiæ articulis nihil re-  
 mittere vellet, non nisi de induciis agi cæ-  
 ptum est, quæ etiam ad annum dunta-  
 xat mutuo consensu Abbavillæ firmatæ  
 sunt, nequidquam obluctante Connesta-  
 bili, qui sua consilia hoc pacto dissipari  
 ægerrime ferebat. Hic oppidum S. Quin-  
 tini in manibus suis tenebat, ejusque  
 Præfecturam Rex eidem concesserat.  
 Hanc urbem Connestabilis valido militum,  
 quos omnes sibi addictissimos noverat,  
 præsidio firmabat, ipseque oppidum  
 tuebatur: cum igitur Burgundiæ Dux  
 urbem sibi restitui postularet, inter utrum-  
 que nova exorta est contentio. Rex li-  
 tem dirimere noluit, ne Connestabilis  
 inde offensus Ducis opem imploraret, a  
 quo



Sæcul. XV. quo potenter fuisset defensus, si S. Quinti oppidum ex Regis sententia Burgundo fuisset restitutum.

## §. CXV.

*Rex nuptiis Aquitannicæ Ducis cum  
Filia Burgundiæ Hærede  
obludatus.*

Induciæ licet religiose servatæ essent, nihilominus Burgundiæ Dux, nec suos belli Præfectos nec selectiores copias sacramento solvebat, & a filiæ suæ nuptiis cum Aquitannicæ Duce minus alienum fovere animum videbatur, quamvis re ipsa potius invitus esset. Verum res jam eo perducta erat, ut Montis Albani Episcopus Romam ablegaretur, qui a Papa obtineret, ut sponsis, cum propinquitatis vinculo ligati essent, legis gratia fieret. Ludovicus rem edoctus, confestim ad Ducem Aquitannicæ Buchagium ablegat, qui eum ab hujusmodi connubii proposito avocare niteretur. Huic Aquitannus non tam verbis, quam acerbis adversus Regem querelis respondit, in hæc etiam verba prorumpens: Rex nullam omnino prætermittit occasionem, qua suam in me invidiam demonstrat: Hanc ob rem Aquitannicæ cum Burgundiæ Duce cæptum negotium perficere decrevit, declarans, se Ludovico XI, quam primum



mum cum Burgundo de Pictaviensi possessione acturus esset, aperte significaturum, quod hæc Provincia omnino Aquitannicæ Præfecturæ, a qua eam Rex avulsisset, denuo esset adjungenda.

Sæcul. XV.

A.C. 1471.

## §. CXVI.

*Pax Regem inter & Burgundum firmata.*

Nihilominus Regem inter & Burgundiam Ducem pax inita, atque utriusque Crotojæ firmata est ea lege, ut Dux omnino ab Aquitannicæ, & Britannicæ Ducum partibus deficeret, ac juramenti religione promitteret, se nunquam eorum consiliis suffragaturum. Rex autem Burgundo spondit, se oppidum S. Quintini, & Ambianum urbem redditurum, nec ullo pacto Nivernensis Comitatus, & Connestabilis, quem totum Burgundi arbitrio relinquebat, studia sectaturum. Horum uterque Burgundicæ Ducis odium in se concitaverat, Nivernensis quidem, eo quod nonnullas urbes, quas Burgundus occupaverat, repeteret, Connestabilis vero, quod Ducem ob Comitatum S. Pauli, & omnes ferme ceteras ejus ditones sibi tanquam clientelari Domino obstrictum teneri contenderet. Hanc concordiam Regem inter & Burgundum præcipue restituebant, illiusque arti-

Commin. lib.

3. cap. 9.



Sæcul. XV. articulos concinnabant Petrus Dorioltus, & Credonensis Toparcha, quorum prior ad Franciæ Cancellarii dignitatem evehebatur, postquam Morvillerius, qui Regis gratia excidit, in Aquitanniam sese receperat.

## §. CXVII.

*Dionysii Carthusiani obitus.*

*Dupin. Biblioth. script. to. 12. p. 103.*  
*Spond. contin. Annal. hoc ann. n. 14.*  
*Pierrius Bibl. Carthus. p. 49. & seq.*  
*Baillet. Vit. Sanct. 12. Martii.*

Hoc eodem anno invidia mortis Ecclesiæ ereptus est celeberrimus fidei defensor Dionysius Carthusianus, tum pietate, tum scientia clarissimus. Vocabatur Dionysius Rickelius ab oppido Rikel Leodiensis Diocesis, originis suæ loco; magis tamen sub nomine Dionysii Carthusiani notus est. Hic Ordinem Carthusianorum anno ætatis suæ vigesimo primo ingressus, totum reliquum vitæ suæ tempus in eo transegit, usque ad annum millesimum quadragesimum septuagesimum primum, quo anno die duodecima Martii annos sexaginta novem natus, sancto fine quievit. Dupinus de eo testatur, ipsum librorum numero, quos elucubrabat, eorumque ipse Catalogum scribebat, parem fortassis habuisse neminem, Fertur quoque, Eugenium IV. Papam, cum ex libris ejus, nescio quem, sibi oblatum legisset, admiratione plenum exclamasse: *Lætetur Mater Ecclesia, quæ tantum*



lem habet filium. Posteritati reliquit Com-  
 mentarios in omnes veteris & novi testa-  
 menti libros, necnon aliud opus, cui titulus  
*Monopanton*, id est, omnes Epistolæ D.  
 Pauli ordine suo in varia argumenta di-  
 stributæ; commentarium in libros S. Dio-  
 nysio Areopagitæ adscriptos; alium in  
 omnes libros Magistri sententiarum; Me-  
 dulam summæ D. Thomæ, necnon sum-  
 mæ Guilielmi Antissiodorensis; tracta-  
 tum in librum Boetii de Consolatione  
 Philosophiæ, præter expositionem vete-  
 rum Hymnorum; scripsit etiam commen-  
 tarium in Scalam S. Joannis Climaci,  
 & in opera Cassiani; varia opuscula de  
 Philosophia; Compendium Theologiæ;  
 libros duos de Christiana Theoria, octo  
 libros de fide Catholica, quatuor contra  
 Mahometis perfidiam; dialogum inter  
 Christianum & Saracenum de eodem ar-  
 gumento; Epistolam ad Principes Ca-  
 tholicos, quos ad bellum adversus Tur-  
 cas hortatur; tractatum contra Magos  
 & Waldenses; alium contra superstitiones;  
 varios tractatus de essentia & perfe-  
 ctione Dei; quatuor libros de donis  
 Spiritus sancti; Meditationes Passionis  
 Dominicæ; expositionem Missæ; Dialo-  
 gum de Eucharistia; tractatum de fre-  
 quenti Communione; sermones de san-  
 ctissimo Altaris Sacramento; octo libros  
 de laudibus B. V. M.; de veneratione  
*Histor. Eccles. Tom. XXIX, C c San-*

Sæcul. XV.

A.C. 1471.



**Sæcul. XV.** Sanctorum; Denique de eorum reliquiis,  
**A. C. 1471.** & de modo, quo in illarum honorem  
 solemnes institui deberent supplicatio-  
 nes. Hi sunt tractatus dogmatici hujus  
 Auctoris.

## §. CXVIII.

*Illius opera ad Ecclesie disciplinam  
spectantia.*

Cetera, quæ composuit opera, discipli-  
 nam respiciunt; hæc inter sunt tra-  
 ctatus de causa diversorum eventuum,  
 de reformatione Ecclesie; de potestate  
 & jurisdictione Papæ; de auctoritate  
 Conciliorum generalium; de vita & re-  
 gimine Prælatorum, atque Archidiacon-  
 orum; de officio Legati; de vita &  
 statu Canonorum, Presbyterorum, a-  
 liorumque Ministrorum Ecclesie: Dia-  
 logus inter Advocatum & Canonicum;  
 tractatus de vita & regimine Curatorum;  
 de conversatione honesta Clericorum;  
 de disciplina scholarium; de vita Nobi-  
 lium; de regimine Principum; duo dia-  
 logi inter Christum, Principem & Prin-  
 cipissam; de vita militari; de officio Mer-  
 catorum & de justo pretio rerum; de  
 regimine politicæ; de vita conjugatorum;  
 de vita Virginum; dialogus inter Chri-  
 stum & Puerum, & alter inter eundem  
 & senem; de vita & exemplis antiquo-  
 rum



rum Patrum; Elogium ordinis Carthufianorum; explicatio Regulæ tertii Ordinis S. Francisci; de vita solitaria, ejusque encomio, ac denique *de vita inclusarum*.

Sæcul. XV.  
A.C. 1471.

## §. CXIX.

*Opera ejusdem moralia.*

Denique posteriora ejusdem Auctoris opera tractant de morum præceptis; inter quæ numerantur quatuor collectiones sermonum, duæ pro sæcularibus, & totidem pro religiosis; item summa virtutum & vitiorum; tractatus contra pluralitatem beneficiorum, contra Simoniam, avaritiam & ambitionem; contra proprietatem Monachorum & contra distractiones in officio divino. Scripsit quoque de modo devote canendi; de modo & ordine correctionis fraternæ; de enormitate peccati; de conversione peccatorum; de arcta via salutis, & de contemptu mundi; Speculum amatorum Mundi; Exhortatorium Novitiorum; de votis & professione religiosa; de mediis tempus utiliter impendendi; Exstant etiam duo libri de vita purgativa; discursus de mortificatione vivificante, & reformatione interna; de fonte luminis, & semitis vitæ; de remediis contra tentationes; de discretionem spirituum; de

C c 2

passio-



Sæcul. XV. passionibus animæ; de puritate & felicitate animæ; tractatus de collationibus, & de quatuor novissimis, in quo libro asserit, Animas purgatorii haud certas esse de sua salute (\*). Præterea posteritati reliquit Epistolas, ac poemata, & alia multa opuscula, quæ omnia Dupinus recenset, ac cujuscunque libri annum, quo in lucem prodiit, assignat, necdum vero typis excusos ordine suo recitat, additque, hunc Auctorem miram in scribendo facilitatem, sed simplicem, incultam, ac humilem dicendi rationem habuisse.

## §. CXX.

*Thomæ a Kempis obitus.*

*Josse Badius in ejus vita Trithem. & Bellarm. de Script. Eccl. Valer. Andre Bibl. Belg. Vid. supra Lib. CVIII. §. 189.* Die vigesima quarta Julii eodem anno Thomas a Kempis spiritum Deo reddidit annos natus ferme nonaginta duos. Cognomen de Kempis ei adhæsit ab ignobili quodam oppido *Kempis* dicto, & in Diocesi Coloniensi sito. Primam lucem aspexit circa Annum Salutis millesimum trecentimum octogesimum. Pater ei erat Joannes Hemmerlein, latine *Malteolus*,

(\*) *Possevinus in suo apparatu verbo: DIONYSIUS* dicit: in hoc libro habet Auctor iste aliqua, quæ dubitaverim, ab alio potius, quam ab ipso ei libro de quatuor novissimis inserta fuisse.



leolus, Mater vero Gertrudis; Fratrem Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
Germanum habuit Joannem de Kem-  
pis Priorem Monasterii Canonorum re-  
gularium ex Congregatione Gerardi magni  
in monte S. Agnetis prope Zvvoll seu Su-  
vollam. Thomas primam institutionem  
habuit Deventriæ in Alumnorum Gym-  
nasio, ubi optimis moribus imbutus lite-  
ras efformare, ac sacras Paginas legere  
didicit. Inde Anno Domini millesimo  
trecentesimo nonagesimo nono Suvollam  
contendebat, ut plenam poenarum ve-  
niam, quam eidem Urbi Bonifacius IX.  
concefferat, obtineret; ubi etiam in Mona-  
sterio Montis S. Agnetis ad religiosum  
tyrocinnium admitti postulabat, & ab  
ipso fratre suo receptus, die decima Ju-  
nii Anno Christi millesimo quadringen-  
tesimo sexto se Deo solemniter votorum  
sponsione devovit, demum ad sacrum  
Presbyteratus Ordinem Anno Incarna-  
tionis Dominicæ millesimo quadringen-  
tesimo vigesimo tertio admissus est: Cum  
vero eo tempore Canonici Regulares hu-  
jus Monasterii in transcribendis libris plu-  
rimam operam impenderent, Thomas  
quoque in hoc labore assiduus totum sa-  
crum Codicem, Missale, pluresque alios  
libros descripsit. Præterea nonnulla sa-  
cra, ac pia posteris reliquit opuscula;  
cum vero stylo simplici, & humili ute-  
retur, ea non a sermonis elegantia, sed



Sæcul. XV. vel maxime a soliditate argumentorum,  
A. C. 1471. Spiritus sancti unctione, claritate, ac per-  
 spicuitate potissimum commendanda sunt,  
 atque cuicumque hominum conditioni  
 plurimum utilitatis afferunt.

*Vid. Dissert.* In editione Coloniensi, quæ anno mil-  
*Dupini to 12* lesimo sexcentesimo sexagesimo tribus  
*ad sæc. XV.* voluminibus distincta prodiit, habentur  
 sermones de Mysteriis Domini nostri JE-  
 su Christi, necnon doctrina Juvenum  
 Religiosorum, & tractatus ascetici, quos  
 inter primi sunt quatuor libri de Imita-  
 tione Christi, de quibus jam alibi disse-  
 ruimus. Scripsit etiam Vitas plurium  
 Sanctorum, Epistolas sacras, plures ora-  
 tiones, ac nonnullos hymnos. Iterato  
 prælo Auctoris hujus opera tam Duaci,  
 & Antwerpiae, quam pluribus aliis in lo-  
 cis in majori, & minori forma excusa  
 prodire.

## §. CXXI.

*Abdicatio Patriarchatus Constan-*  
*tinopolitani per Dionysium*  
*facta.*

**H**oc item circiter tempore Dionysius  
 natione Græcus sese Patriarchatu  
 Constantinopolitano abdicavit; Huic cum  
 malevoli quidam perperam objectarent,  
 quod circumcisis fuisset a Turcis, quan-  
 do Constantinopoli capta venditus fue-  
 rat;



rat; hanc ob rem frequentissimam con-  
 vocabat Synodum; Nihilominus ejus  
 accusatores in hac criminatione persiste-  
 bant; ipse vero hoc facinus etiam præsti-  
 ta juramenti fide pernegabat, demum  
 cum nullum aliud remedium superesse  
 cerneret, quo honori suo confuleret, sub-  
 lata coram tota Synodo veste se nullo  
 circumcisionis stigmate infamem esse de-  
 monstrabat. Quare calumniatores ni-  
 mio pudore suffusi, ad pedes Patriarchæ  
 prostrati veniam efflagitabant. Hi ta-  
 men licet Synodus pro eis deprecaretur,  
 non modo ab eo auditi non fuerunt, ve-  
 rum etiam anathemate perculsi sunt.  
 Ipse autem Dionysius Ecclesiam ulterius  
 administrare renuebat; unde Patriarcha-  
 tu relicto, quem octo annos tenuit, in  
 Monasterium recessit; In ejus locum re-  
 stitutus est Simeon; hic tamen, cum tribu-  
 tum antea ab ipsomet introductum solve-  
 re teneretur, & quæstor oblatos mille au-  
 reos accipere nollet, duo millia nume-  
 rare jubebatur, totidem nempe, quot an-  
 tea pro Dionysio Turcis soluta fuissent  
 Eggit autem Simeon triennium & amplius,  
 quin petitas penderet pecunias, aut in  
 ejus locum alius sufficeretur Patriarcha;  
 Unde in Ecclesia Constantinopolitana non-  
 nullæ oriebantur turbæ.

Sæcul. XV.

A.C. 1471.



Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

§. CXXII.

*Legatio Cardinalis Aquilejensis in Germaniam.*

Anno 1472. Ineunte hoc Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo Legati, quos Papa ad Christianos Principes in negotio belli Turcici decreverat, iter aggressi sunt. Hos inter præcipuus Cardinalis Aquilejensis die vigesima secunda Februarii Roma discessit, acceptis a Pontifice mandatis, in Germaniam contenderet, & Fridericum Imperatorem hortaretur, ut se Ecclesiæ Romanæ Advocatum, & Reipublicæ Christianæ Defensorem esse recordaretur, ac propterea arma contra Turcam caperet, denique Reges Poloniæ atque Hungariæ de regno Bohemiæ contendentes ad concordiam revocare conaretur, quantum salva Romanæ Ecclesiæ, & Majestatis Imperialis dignitate valeret. Præterea Aquilejensi datum est negotium, ut Matthiam Hungariæ Regem moneret, ne desertum se iri a Sede Apostolica, atque Imperatore timeret, cum ab eisdem ad bellum contra Bohemos excitatus fuisset, nec Sedes Apostolica electionem Ladislai a Bohemis factam approbasset: Dum vero procliviores videbantur Bohemi, ut Regis Poloni filium sibi in Regem acceptarent,

*Papienf.  
epist. 463. &  
440.*



ptarent, hinc injunctum est legato, ut Pontificis nomine Matthiam Regem induceret ad ineundam cum Polono pacem, quam Papæ & Imperatoris arbitrio relinqueret, spe facta, curaturum utrumque, ut intestini motus sedarentur.

Sæcul. XV.

A.C. 1472.

## §. CXXIII.

*Ejusdem Legatio ad Regem  
Poloniæ.*

Eidem quoque Pontifex in mandatis dederat, ut Casimiro Poloniæ Regi hæc exponeret: Rege Catholico indignum est, ut Bohemiæ Regnum, ad quod capessendum a Sede Apostolica tanto tempore invitatus fuerat, adeo pertinaciter acceptare recusasset: nunc vero filium suum hæreticis petentibus in Regem concedere non abhorreret, simulque bellum Matthiæ denunciaret, quamvis ille Rex Catholicus, & Princeps longo rerum usu atque experientia præditus esset, necnon cum Bohemorum genio longe melius conveniret. Proin satius foret, ut ex filiabus suis unam Matthiæ nuptui daret, hacque via Bohemiæ Regnum ad liberos, qui ex hoc connubio susciperentur, vel deficientibus posteris ad Polonos devolveretur. Postea Legato injunctum, si forte Poloniæ Rex conditionibus adeo justis æque ac honestis acquiescere renueret,

Bzov. annal.

Eccles. ad

an. 1472.



Sæcul. XV. tunc in gratiam Matthiæ diploma Apostoli-  
A.C. 1472. cum promulgaret, eidemque Bohemiæ  
 Regni possessionem confirmaret; in Po-  
 lonos vero, si oblucentur, anathematis  
 poenam intentaret. Legatum Poloniæ  
 Rex summis honoribus excepit; nec ta-  
 men inde optata pax secuta est, eo quod  
 Matthias ad concordiæ leges difficiliorem  
 sese præberet, atque ante omnia cum  
 Friderico Imperatore pacem inire cogi-  
 taret, quam etiam infra paucos dies ob-  
 tinuit, quamvis non adeo firmam.

## §. CXXIV.

*Legatio Cardinalis Bessarionis in  
 Franciam; Legatus male ibi  
 habitus.*

**D**iu anceps hærebat Bessarion Cardi-  
 nalis, an Legationem Gallicam sibi  
 demandatam acceptaret; cum vero ad-  
 versa valetudine, necnon gravi senio pre-  
 meretur, in Franciam eundi consilium  
 penitus abiecit. Ast paulo post ab ipso  
 Ludovico literas accipit, quibus eidem  
 Rex significabat, se non sine ingenti ani-  
 mi lætitia percepisse, eum Franciæ Re-  
 gni Legatum esse destinatum; proin ro-  
 gare se, ut discessum acceleraret, nec du-  
 bitaret, eum omnibus iis honoribus ex-  
 ceptum iri, quos dignitatis, ac meriti sui  
 excellentia deposceret. Bessarion perle-  
 ctis



ctis hisce literis quantocius iter aggredi- Sæcul. XV.  
 tur; infelici tamen legationis suæ suc- A.C. 1472.  
 cessu; quippe vix Regnum ingrediebatur,  
 cum illico Rex hujus Viri fidem suspe-  
 ctam haberet; quapropter eidem, cum  
 Aulam accederet, per solidum bimestre  
 & amplius alloqui copiam denegabat.  
 Tandem vero Cardinalis Regis conspe-  
 ctum subire permittebatur, sed ab eodem  
 admodum remisse ac fastidiose excipie-  
 batur; Rex enim ira in eum commo-  
 tus erat, quod jussu Pontificis, ut fertur,  
 posthabito Rege, prius Burgundiæ  
 Ducem salutasset. Hujus rei seriem  
 Brantofomensis Abbas (\*) enarrat, sed  
 tamen pro more suo in facetias liberius  
 excurrit. Magis seria est hujus facti re-  
 latio a Matthæo in vita Ludovici XI. his  
 verbis descripta.

„ Hujus Legationis tædia, inquit il- Matth. in  
 „ le, Bessarioni Cardinali vitam abstu- hiß. Ludov.  
 „ lere; cum enim prima salutationis of- XI. lib. I.  
 „ ficia Burgundiæ Duci, cujus animum  
 „ magis inexpugnabilem censebat, de-  
 „ ferret, Rex ea re summe offensus,  
 „ Cardinalis errorem aut Regiæ Maje-  
 „ statis contemptui, aut privato in eam  
 „ odio adscripsit: cum vero Bessarion  
 „ ad

(\*) *Is erat Petrus de Bourdeille, de quo  
 vide Iselinum, & Auctorem des compendiosen  
 gelehrten Lexicon lit. B.*



Sæcul. XV. „ ad alloquium venisset, Rex barbam il-  
A.C. 1472. „ lius, quam satis promissam nutrebat,  
 „ contrectabat, simulque hunc versum  
 „ apud Grammaticos tritissimum pro-  
 „ nuntiabat :

*Barbara Græca genus retinent, quod ha-  
 bere solebant.*

„ Equidem Græci cunctis ceteris genti-  
 „ bus morum asperitatem objectare so-  
 „ lebant, nihilominus tamen Rex acer-  
 „ biori hoc joco nullatenus eorum na-  
 „ tionem, sed potius ipsius Cardinalis in-  
 „ urbanum agendi modum, ejusque im-  
 „ prudentiam redarguere intendebat, at-  
 „ que his dictis Bessarionem torvo vultu  
 „ a se dimissum vix verbo dignabatur; ut  
 „ vero eidem luculentius ostenderet,  
 „ quod illius præsentia ac diuturnior  
 „ commoratio Regi molesta esset, paucis  
 „ post diebus responsum, quod ad Papam  
 „ deferret, expediri jussit. „

§. CXXV.

*Bessarion Cardinalis Ravennæ  
 mortuus.*

Indigna hæc agendi ratio tantopere Bes-  
 sarionis animum afflixerat, ut Romam  
 redux, Taurini in gravem morbum in-  
 cideret; inde vero Ravennam Pado de-  
 vectus,



veſtus, ibidem die decima octava Novem-  
 bris Anno millefimo quadringentefimo ſe-  
 ptuageſimo ſecundo animam efflaret  
 annos natus ſeptuaginta ſeptem. Cor-  
 pus ejus Romam delatum in quodam  
 Basilicæ D. Petri ſacello conditum fuit;  
 ibidem enim Beſſarion ipſus ſuum erige-  
 bat ſepulcrum, cui præter duos verſus  
 Græcos, qui in extrema illius parte le-  
 guntur, Epitaphium latino ſermone (\*)  
 conceptum inſcribi juſſit. Refert Paulus  
 Jovius, (\*\*\*) quod deſuncto Paulo II. Pon-  
 tifice Cardinales Beſſarionem in Papam  
 ele-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1472.

Paul. Jov.  
 elog. cap. 24.  
 & 27.

Aubery hiſt.  
 Cardinal.

(\*) Epitaphium ita ſonat:

*Beſſarion feci hunc tumulum, qui concederet  
 offa,  
 Venerat unde olim Spiritus, aſtra  
 petet.*

(\*\*\*) Rem tamen hanc aliter narrat Giral-  
 dus, ſcilicet, acceſſiſſe ad eum Cardinalem Ur-  
 ſinum, ac rogaffe, ut ſibi & Urſinæ familie  
 quædam privilegia ſcripto confirmaret, id ſi  
 faceret, & ſua, & ſuorum amicorum ſuffragia  
 conſecuturum ſciret. Illum admodum ſevere  
 reſpondiſſe; ſi illa privilegia Majestatem pon-  
 tificiam, & ſanctæ Sedis honorem continerent,  
 omnia facturum: ſi minus, ne ſe porro ad  
 ſubſcribendum urgeret. Urſinum hoc reſpon-  
 ſo indignatum, ſe & ſuorum ſuffragia ad Fran-  
 ciſcum de Ruvere convertiſſe, inquit Giraldus.



Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

elegissent; cum vero tres Parpurati in conclavi ejus cellam accederent, ut electionis factæ nuncium eidem deferrent, Nicolaus Berrotus, quem a cubiculo habebat, adventantibus Cardinalibus januam cellæ, in qua Bessarion studiis vacare assueverat, aperire recusabat: hanc autem repulsam ceteri tam iniquo tulerunt animo, ut inde recedentes Sixtum IV. in Romanum Pontificem elegerint. His subjungit idem Scriptor, Bessarionem re comperta non sine indignatione ad Cubicularium suum dixisse: *Hæc tua, Perotte, intempestiva sedulitas, & Tiaram mihi, & tibi galerum eripuit. Nihilominus tamen hujus rei nec Platina, nec Papiensis Cardinalis meminere.*

*Papiens.*  
*epist. 437.*  
*455. & seq.*

Fuit Bessarion ab unguiculis literarum studiosissimus, easque summo progressu ad seram usque ætatem excoluit, præcipue vero solidum virtutis studium inseparabili nexu in profundæ suæ eruditionis societatem vocavit. Cardinalis Papiensis, licet eum redarguat, quod Legationem in Franciam suscepisset, nihilominus in ejus laudem hæc scripta reliquit; *Nil habuit præter Bessarionem Romana Sedes, quo gloriari amplius posset; nihil quod ad suum ministerium efficacius inveniret. Ad hunc referebantur nostra consilia, qui nihil humile, nihil quod non dignitati conjunctum esset, poterat cogitare.*  
*Flen-*



Flendus tantæ jacturæ obitus est, Flendæ vi-  
 ces Ecclesiæ, Flenda etiam bonorum omnium  
 orbitas. Miseros nos, qui tam amantem,  
 tam nostri studiosum Patrem amisimus. Ni-  
 hilominus de Viro hoc cetera laudatissi-  
 mo (rara enim sine nævo virtus) cum  
 Cardinali Papiensi observare oportet,  
 illum, ut in Galliam proficisceretur ad lega-  
 tionem, libertatem vendidisse suæ sententiæ,  
 Pontifici non assensisse modo, in quibus vo-  
 luit, sed adiutorem etiam fuisse, ut crea-  
 rentur indigni Cardinales nempe duo illi  
 juvenes, de quibus antea occurrebat ser-  
 mo. Unde luculentum habemus testi-  
 monium, non solum Viros supremis digni-  
 tatibus auctos, sed etiam sublimibus vir-  
 tutum splendoribus illustres ægre admo-  
 dum ab omni culpa exemptos reperiri.  
 Ceterum ejus Palatium literatorum A-  
 cademia videbatur; horum enim exi-  
 mius cultor juxta ac potentissimus sem-  
 per fautor exstitit. Insuper locupletissi-  
 mam & præcipue Græcis variarum fa-  
 cultatum Codicibus refertissimam Biblio-  
 thecam Reipublicæ Venetæ dono dedit,  
 quam Senatus hodie summa sollici-  
 tudine conservat, eamque, ut fertur, Bes-  
 sarion triginta aureorum millibus sibi  
 comparaverat. Huic fati functo in La-  
 tinorum Patriarchatu Constantinopolita-  
 no a summo Pontifice subrogatus est qui-  
 dam Cardinalis ex sorore Nepos.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1472.

Vid. supr.  
 §. III.

Petr. Justin.  
 hist. Venet.  
 l. 8. in fin.

§. CXXVI,



Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

§. CXXVI.

*Bessarionis Opera.*

*Dupin. Bibl. script. sæcul. XV.* Reliquit posteris præclara ingenii sui monumenta. Scripsit enim tractatum de Sacramento Eucharistiæ, & de verbis Consecrationis, in quo Latinorum doctrinam adoptare visus, Græcorum objecta confutat; sermonem dogmaticum de causis schismatis, & alium de unione; libellum de Processione Spiritus Sancti, necnon defensionem Decreti Florentinæ Synodi ad Alexium Lascarim; Apologiam Joannis Vecci unacum refutatione tractatus, quem Palametes conscripsit. Edidit quoque epistolam ad Constantinopolitanos, & responsionem ad IV. argumenta Maximi Planudis de processione Spiritus sancti. Cuncta ista opera in

*Collect. Conc. 6. Labb. to. 13.* Collectione Conciliorum habentur, ab Arcudio publici juris facta. Præterea

*Vid. §. XIX.* alios nonnullos elucubravit tractatus de Philosophia, ac præprimis Apologiam Platonis contra Gregorium Trapezuntinum, cujus jam supra meminimus; librum de Legibus; tractatum de natura & arte ad eundem Gregorium Trapezuntinum, Epistolam ad Moderatorem liberorum Principis Thomæ Palæologi de eorum educatione; orationem ad Christianos Principes adhortatoriam ad bellum Turci-



Turcicum, præter quasdam Epistolas par- Sæcul. XV.  
 tim typis excusas, partim nondum in lu- A.C. 1472.  
 cem editas. Optabilis sane esset labor,  
 si omnia hujus Cardinalis opera in unum  
 volumen collecta publici juris fierent.

## §. CXXVII.

*Legatio Borgiæ Cardinalis in  
Hispaniam.*

**I**nterea Borgias Cardinalis S. R. E. Can-  
 cellarius patria Valentinus ejusdem Mariana  
 que civitatis Episcopus, in Hispaniam hist. Hisp.  
 destinatus est Legatus, iisdem instructus l. 23. c. 18.  
 mandatis, quæ Aquilejensi pro Germa- Papiens.  
 nia, & Bessarioni pro Galliis nuper da- epist. 44r.  
 bantur. Die vigesima Junii Valentiam Surrita an-  
 appulsus, omni officiorum genere, atque nal lib 18.  
 ingenti lætitiæ significatione excipieba- c. 40. & seq.  
 tur; paucos vero dies ibidem diversatus,  
 Tarraconam contendit, ut cum Ferdi-  
 nando Siciliæ Rege consilia conferret.  
 Ea occasione diploma dispensationis Apo-  
 stolicæ in connubio Regis cum Isabella  
 Infante Regi porrexit, illudque Archie-  
 piscopo Toletano summi Pontificis jussu  
 promulgandum tradidit. Inde Barcino-  
 nem delatus, Arragoniæ Regem, qui hu-  
 jus urbis obsidioni intentus erat, adiit;  
 dedita autem Barcinonensi civitate Bor-  
 gias in Castellæ Regnum concessit, ubi  
*Hist. Eccles. Tom. XXIX.* D d Ma-



Sæcul. XV. A C. 1472. Madriti ingenti pompa receptus est, orationemque ad Clerum Ecclesiæ suæ habuit a Cardinale Papiensi elucubratam, cum forte Borgias minus ad id aptus esset. Ast ægre admodum obtinuit subsidium pro bello Turcico: in componendis quoque Castellæ diffidiis, licet omne studium adhibuisset, nihilominus parum profecit, eoquod Prælati Ferdinandum Arragoniæ Regem, quem Henricus Rex ob nuptias Isabellæ sororis suæ se invito contractas persequebatur, summa animi propensione foverent. Testantur quoque Auctores, eundem Legatum cum Rege Arragoniæ, necnon cum Eduardi Angliæ Regis, & Caroli Burgundiæ Ducis Oratoribus, qui opportune Castellæ aderant, non solum de rationibus belli facri tractasse, sed etiam de scœdere contra Ludovicum XI. Galliarum Regem egisse: id tamen in mandatis habuisse haud constat: hinc conjicimus, Borgiam jam tunc in animo suo fovisse, quæ postea factus Papa sub nomine Alexandri VI. apertius contra Gallos moliebatur. Denique his ita præclare gestis, Romam reversus est. Rex vero Castellæ adeo in eum ira commotus permansit, ut paulo post ad Sedem Apostolicam Oratorem destinaret, quide injuriis sibi a Legato illatis expostularet, ac quereretur.



## §. CXXVIII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1472.*Hujus Legati indoles ex Papiensi  
Cardinale.*

**H**ujus Legati indolem Cardinalis Papiensis, qui eum melius noverat, ac *Papiens.* nemo alius, in suis epistolis disertius de *epist. 534.* scribit, ac parum laudabilia de eo profert. Scribit enim hæc ad Franciscum Toletanum: *Vice-Cancellarius Pontificem nactus concupitam diu in patriam suam profectiorem facile impetravit, ut honoratus iret, ut populis se visendum præberet, ut ex tribus Regnis Castella, Arragonia & Lusitania omnifariam messem commeteret; primum Valentiam navigavit, inde in ulteriorem Hispaniam transit, utrobique multa vanitatis, & luxus & ambitionis, & avaritice documenta relinquens, nullo eorum perfecto, quod sibi ad nomen legationis prætenderat. Odio Principum & populorum renavigat Romam; ingenti exorta tempestate, conflatis diu quadriremibus duabus, ex quibus altera cum omni præda Hispanica ante oculos suos depressa est, altera, quæ sua erat, diffracta jam puppe, cum haud procul exitio esset, ægre in portum lacera ac vexata protruditur. Præter ceteram turbam quinque & septuaginta ex familia periere, in his Episcopi tres, Jurisconsulti*

D d 2

am-



Sæcul. XV. *amplius duodecim, atque equestris ordinis*  
 A.C. 1472. *sex. (\*)*

## §. CXXIX.

*Expeditio maritima Cardinalis  
 Caraffæ Legati.*

*Papiens. ep.*  
 439. & 440.

Caraffa Cardinalis patria Neapolitanus, classis contra Turcas instructæ Præfectus, in festo solemnî Corporis Domini die vigesima octava Maji, post peractam rem divinam de manu Pontificis in Basilica Sancti Petri vexilla triremium ex more sacrata recepit. Hunc summus Pontifex absoluto prandio comitantibus eum Cardinalibus conduxit ad classem, quæ paulo infra eandem Ecclesiam in media Tyberi substiterat. Ascendit Papa prætoriam, & a puppi ex loco edito non solum Legato, ejusque familiaribus, sed etiam cunctis, qui in ceteris triremibus erant, bene precabatur, iisdemque plenam pœnarum condonationem indulgebat. Amplexus inde Legatum in triremi eum dimisit; ipse vero ad Vaticanum

(\*) Centenis probatum exstat argumentis, Papiensem nimium rigidum aliorum fuisse Censorem, ac omnium mores, si vel hilum quidem ab æquo deflecterent, exagitasse; non raro etiam, quæ præter suum consilium gesta fuere, liberius sugillasse, ut ejus epistolas perlegenti perspicuum erit.



num die jam ad occasum declinante re-  
 versus est. Fuit autem Classis, ut Onu-  
 phrius habet, quatuor & viginti trire-  
 mium, seu viginti, ut Justinianus scribit,  
 eaque juncta est non solum Venetis, sed  
 & Ferdinandi Neapolis Regis navibus;  
 Papa enim hunc Regem innumeris be-  
 neficiis, quibus eum cumulaverat, pla-  
 catum denuo in gratiam recepit, ac  
 præter investituræ, quam Pius II. ei con-  
 cesserat, confirmationem, eidem quoque  
 Soranum reddidit Ducatum, Regnique  
 censum condonavit, tam hunc, qui a  
 plurimis annis ab obitu Alphonsi ejus Pa-  
 tris Romanæ Ecclesiæ debebatur, quam  
 illum, qui vivo illo solvendus fuisset, ea-  
 tamen conditione, ut triremes duas ad cu-  
 stodiam Romani littoris continuo in mari  
 haberet. Postea Neptis Ferdinandi Re-  
 gis in matrimonium desponsa est Pontifi-  
 cis Nepoti, urbisque Præfecto, cujus  
 Sponsæ prædictus Ducatus Soranus in  
 dotem adjiciebatur.

Secul. XV:  
 A.C. 1472.

Onuphr. in  
 Sixt. IV.

§. CXXX.

*Pontificiæ ac Venetæ classis molimina  
 contra Turcas.*

Quamvis hæ classes adeo validæ, ac  
 octoginta & amplius triremibus in-  
 structæ essent, nihilominus haud multa  
 præclare gessisse videntur; tota hæc

D d 3                      expe-



Sæcul. XV expeditio sistebat in expugnatione  
 A C 1472. Ataliæ Pamphiliæ urbis, cujus portum  
 Christianorum copię occuparunt (\*), un-  
 de factum, ut Turcarum exercitus re infe-  
 cta pedem referre compellebatur. Hoc  
 perfecto Regiæ Neapolitanæ classis Præ-  
 fectus Autumno ad finem vergente cum  
 suis navibus domum recessit; Legatus ve-  
 ro Pontificius & Mocenigus, unacum Ve-  
 netorum navali Prætoze, priusquam ini-  
 quiora hyemis tempora ingruerent, egre-  
 gium quoddam facinus edere statuebant.  
 Quocirca Smyrnam Joniæ urbem ex in-  
 opinato aggrediuntur, accurrentem in  
 auxilium Præfectum urbis conserta pu-  
 gna profligant, & opima præda onusti  
 recedunt.

## §. CXXXI.

*Legatus gloriose Romam redux.*

Hac expeditione expleta Legatus Ro-  
 mam reversus, Mense Januario An-  
 no sequenti Victorum more in urbem  
 ovans

(\*) Hæc Continuator inepte ex Spondano de-  
 scripsit, sensum illius, ut videtur, nequaquam  
 affectus; hic enim ait: nostri Ataliam adorti  
 occupato per vim portu defendentibus acriter  
 Turcis re infecta abierunt, quæ quantum a  
 versione Continuatoris aliena sint, nemo non vi-  
 det, idem habet Onuphrius in vita Sixti IV.  
 ex quo ea Spondanus deprompsit.



ovans ingreditur, secumque viginti quin- Sæcul. XV.  
 que Turcas captivos totidem generosis A.C. 1472.  
 equis insidentes, ac duodecim camelos  
 hostium spoliis onustos in victoriæ tro-  
 pheam ducit; vexilla quoque, & signa  
 non pauca de Turcis capta præferri ju-  
 bet, partemque catenæ ferreæ, qua Ata-  
 liæ portus claudebatur, refractæ ante fo-  
 res Ecclesiæ Vaticanæ suspendit. Mo-  
 cenigus autem in Peloponeso hyberna-  
 acturus substitit, nec tamen otiosus;  
 quippe in portus & circumvicinas insulas  
 identidem populabundus excurrebat.  
*Omniū ferme, inquit Onuphrius, con-  
 stans fama erat, Christianos eo anno ma-  
 gnā Asiæ partem occupaturos fuisse, si ipsi  
 mari, quemadmodum Rex Persarum terra,  
 Turcas vexare voluissent.*

## §. CXXXII.

*Usumcassani victoriæ contra Turcas.*

**R**ex ille Persarum haud alius fuit, quam Papiens.  
 Usumcassanus, qui jam dudum bello epist. 455.  
 adversus Turcas implicatus, cum ingenti Michou. l. 4.  
 exercitu sexcentorum ferme armatorum cap. 69.  
 millium qua equitum qua peditum in eos Leunclav.  
 movit. Sub idem tempus delatæ sunt ex Pandect.  
 Græcia ad Pontificem literæ, quibus nun- Turc. n. 76.  
 tiatum, Trapezuntinam urbem ab Usum-  
 cassano fuisse expugnatam. Has ipsas  
 literas Papa in S. Cardinalium Collegio



Sæcul. XV. recitari præcipit. Haud equidem in hoc  
 A.C. 147. rerum articulo Mahometi defuit animus  
 constans atque virilis, podagræ tamen  
 doloribus vexabatur plurimum, nec pa-  
 rum Persiæ Regis metuebat potentiam,  
 eoquod ille præsentis rerum vicissitudine  
 opportune usus, literas ad Casimirum  
 Poloniæ Regem dedisset, quibus eum  
 contra Turcas excitabat, & (si quibus-  
 dam Scriptoribus fides habenda) Usum-  
 cassanus jamjam Armeniam minorem,  
 urbemque Tocatam secundis armis cepe-  
 rat, sibi que a summo Pontifice & Vene-  
 tis tormenta bellica una cum viris ad ea  
 dirigenda idoneis submitti suadente Moe-  
 nigo petebat, in quo non solum voti sui  
 compos factus, sed etiam a Venetorum  
 Senatu amplissimis auctus est muneribus,  
 ipsique Mocenigo in mandatis datum, ut  
 ad omnia Persarum Regis mandata sem-  
 per paratus esset. Biennio post Conta-  
 rinus a Venetis ad eum Legatus mitte-  
 batur, qui tamen haud diuturnam ibidem  
 moram traxit. Re intellecta Mahome-  
 tes legationem decrevit, atque Usumcas-  
 sanum plurimum obtestatus est, ut foedus  
 cum Venetorum Senatu ictum rescinde-  
 ret. Verum repulsam tulit.



## §. CXXXIII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1472.*Decimæ a Papa petitiæ & a Germanis denegatæ.*

Interea Sixtus Pontifex, cum per Regna & Provincias ablegasset viros, qui decimas in usum belli contra Turcas colligerent, simul in eos, qui aliquid ex iisdem furtive subtraherent, anathematis pœnam intentabat. Verum Germani, pluresque alii hæc subsidia præstare adeo pertinaciter renuebant, ut potius omnes ad Synodi sententiam provocare parati essent. Nihilominus summus Pontifex Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi S. R. E. Cardinali negotium dedit, ut Robertum Stillingtonem Episcopum Bathoniensem unacum complicitibus excommunicatos publice denuntiaret, eo quod Prosperum Protonotarium & Sedis Apostolicæ Nuntium, qui pecunias Cameræ Apostolicæ debitas in Anglia colligebat, in carcerem coniecisset. Attamen Robertus, cum plurium turbarum auctor, ac insuper ob perduellionis crimen ad iudicium vocatus esset, ad Academiam Oxoniensem tanquam ad asylum se contulit, sed inde extractus, toto vitæ suæ tempore in arcta custodia detentus est. Præterea summus Pontifex juxta Prædecessorum suorum exem-

Krantz. 13.  
Wandal. 4.  
Reg. Sixt.  
apud Bzov.  
hoc anno,

D d 5      pla



Sæcul. XV. A.C. 1472. pla ad Siciliae Regnum quosdam ablegabat, qui monasticæ disciplinæ inspectionem haberent, ac ibidem Religiosos ad primævum instituti rigorem revocarent. Denique privilegia Monasterii ad S. Salvatorem Ordinis S. Basilii, quod extra Messinæ mœnia situm est, rata habuit, confirmavitque.

## §. CXXXIV.

*Scotorum Optimatum conatus adversus Legationem Archiepiscopi S. Andreae.*

*Buchanan.*  
*lib. 12.*

*Vide supra*  
*lib. CXII.*  
*§. 178.*

Equidem in Scotia Patricius Graamus fratri suo uterino in Episcopali Sede ad S. Andream successerat; verum ejus Adversarii tot eidem opponebant obstacula, ut Romam reverti compelleretur, summi Pontificis auxilium imploraturus, cujus beneficio Ecclesia sua non solum in Archiepiscopalem evecta, sed ipse quoque Sedis Apostolicæ Legatus in Scotia nominatus erat. Nihilominus, ne Legationis suæ munia obiret, graviter oblectabantur Scotiæ Proceres; metuebant enim. ne avita Regni jura hujusmodi legationibus labefactarentur. (\*) Tantum valere eorum que-  
relæ

(\*) Quales autem fuerint hi Proceres, ingenuè ex Auctoribus in margine laudatis exponit Spondanus dicens, adversarios sensit eos, qui rede-



relæ, ut Patricius prohiberetur, ne ullam sui muneris partem expleret, aut Archiepiscopi insignia deferret, donec de accusationum articulis adversus eum delatis a summo Pontifice cognosceretur, apud quem ejus adversarii falsis suis criminacionibus tantum impetrabant, ut Archiepiscopatum dimittere cogeretur, ac in carcerem detrusus, diuturnis miseriis ibidem confectus decederet, ut nonnulli referunt Auctores. Igitur ab hoc Patricio epocham suam habet Archiepiscopatus Santandreaus, quamvis ipse illius dignitatis munia exercere nunquam valuerit. Observat Spondanus, quod hoc anno Scotiæ Reges primo ad Episcopales Ecclesias atque Abbatias Clericos, nominare cœpissent, indeque prava irrepsisset corruptela, qua beneficia, resque omnes tam sacræ quam profanæ velut ad publicam nundinationem Aulicis proponebantur, qui tamen beneficiorum proven- tus in usus parum honestos convertebant.

Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

Spond. Con-  
tin. Annal.  
hoc anno  
n. 17.

### §. CXXXV.

redemerant in aula dignitates ecclesiasticas, metuentes, ne prædam & pretium simul amitterent, necnon qui spem crescendi ex aulica nundinatione conceperant. *Continuator cum cetera ex Spondano transcribere non dubitasset, etiam his verbis locum in sua Historia vindicare potuisset.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

§. CXXXV.

*Aquitanniæ Dux, Ludovici XI, Galliarum Regis frater mortuus.*

Equidem pax inter Galliarum Regem, & Burgundiæ Ducem decreta fuit, nullatenus tamen rata habebatur, quantumcunque de ejus firmitate utrinque juratæ fidei intercessissent sponſiones; quippe Burgundus quamvis Regem ceteroquin promissis suis stare minus affuetum noſſet, haud satis tamen mirari poterat, quod juramenti fidem, qua se tanta solemnitate Andegavi ante Crucem S. Latonis obſtrinxerat, violasset. Verum facile hujus perjurii causſam cogitatione sua assequi poterat; cum enim Ludovicus Rex hanc pacem eo potissimum consilio iniisset, ut Aquitanniæ Ducem a Burgundi societate avelleret: ideo sanctas concordiæ leges, simulac Carolum Aquitanniæ Ducem graviter decumbere compererat, firmare tergiversabatur; cum ergo eveniente Aquitanni obitu mutua inter ambos Duces amicitia dissoluta esset, haud difficulter conjici potest, quantum Regis intererat, in hac cunctatione rebus suis opem quærere. Idipsum etiam Rex facere constituit, donec Aquitanniæ Ducis mortem intellexisset. Obiit ille Burdegalæ hoc anno die duodecima



cima Maji. Rumor erat, Ducem subla-  
 tum fuisse veneno, quod ei Engeriaci seu Sæcul. XV.  
A.C. 1472.  
 Angeliaci Joannes Taure Verfoianus Or-  
 dinis S. Benedicti, ac in Monasterio ejus-  
 dem urbis Abbas propinasse dicitur; non-  
 nulli enim in suspicionis hujus argumen-  
 tum adducunt, quod Montfortioli filia  
 Ludovici de Ambasia Thoraciensis Vice-  
 comitis vidua cum Aquitano Duce  
 prandium sumpsisset, ac secunda vel ter-  
 tia post hora pariter e vivis erepta fuisset.  
 Cum igitur ob inopinatum geminæ hujus  
 mortis casum ubique varii spargerentur  
 rumores, confestim Abbas Lescuni jussu  
 comprehensus, Nannetes ducitur, ac in  
 quadam turri includitur; dum vero ju-  
 dices interea judicii acta instruere para-  
 bant, ipse in carcere suo tactus fulmine  
 periit. Reperiebatur a custodibus capite  
 inflato, necnon facie carboni simillima,  
 ac lingua extra os longius protensa dif-  
 formis. Unde manifesta culpæ veritas  
 haberi non potuit, repentino obitu Viri  
 confessionem prævertente. Ceterum Lu-  
 dovicus intellecta fratris sui morte, pacis  
 condiciones cum Burgundiæ Duce initas  
 ratihabere omnino recusabat: Burgundus  
 vero, ut injuriam ulcisceretur, totus in  
 eo erat, ut Regem molestiis vexaret,  
 belloque premeret.

§. CXXXVI.



Secul. XV.  
A.C. 1472.

§. CXXXVI.

*Aquitannia a Galliarum Rege  
occupata.*

Nec segnior Rex exercitu suo, quem ad omnes casus in Santoniaco agro expeditum tenebat, Aquitanniam occupat, atque inter primas deditiois leges postulat, ut acta contra Angeliacensem Abbatem instrui coepta sibi traderentur. Jussis paruere Commissarii, nec tamen unquam inquisitionis capita innotuere; unde non levis oriebatur suspicio, Ducem Regis fratrem forsitan hoc ipso impellente veneno extinctum fuisse. Ut res se habeat, Rex postquam Aquitanniam suo junxit imperio, ejus Præfecturam Comiti de Bellojovio Borbonii Ducis fratri commisit: vicissim vero Burgundiæ Dux infestis armis Picardiam invasit, & plana Regionis loca ferro flammaque devastavit. Subiit omnia crudelitatum genera urbs Nigella vi capta, cujus Rector, ac civium Primores laqueo suspensi sunt, eo quod fecialem, qui incolas ad deditioem provocaverat, globo petiissent. Nec ultra ædium sacrarum religio innocentem populum illuc certatim confugientem ab insatiabili hostium furore tutabatur, omnesque, quos benignior fors jugulantium gladiis eripuerat, postea magis inhu-



inhumana crudelitas aut laqueo suffoca- Sæcul. XV.  
 bat, aut obruncatis manibus foedabat. A.C. 1472.

Burgundus vero sævitiae hujus enormi-  
 tatem honestare moliebatur propudioso  
 Aquitanniae Ducis mortem vindicandi  
 obtentu, ejusque culpam in Regem con-  
 gessit, simulque graviter conquestus est,  
 quod ei Rex non ita pridem hæredita-  
 riam portionem suam vi eripuisset.

§. CXXXVII.

*Adversa Burgundi fortuna apud Bel-  
 lovacum; soluta urbis obsidio.*

Nupera hæc Burgundiae Ducis severi-  
 tas quingentos illos ballistarios, qui in  
 urbe Royensi præsidium agebant, tanto  
 terrore concussit, ut relicta civitate auffu-  
 gerent. Equites quidem majori constantia  
 ibidem persistebant; cum vero urbem  
 propugnando impares essent, & ipsi pa-  
 ctis conditionibus deditioem fecerunt.  
 Inde Burgundus in Normanniam irrum-  
 pere statuit, eo quod ibidem civium non  
 pauci clandestina cum Duce consilia fo-  
 verent. Verum Dux inopina quadam  
 rerum vicissitudine deterritus, Bellova-  
 censem urbem oppugnare decrevit; fini-  
 stro tamen successu. Postquam enim ob-  
 sidione ad septimum diem protracta urbs  
 repetitis aggressionibus premebatur, &  
 jam-



Sæcul. XV. jamjam tormentorum ictibus in utraque  
A.C.1472. urbis parte ampla murorum ruina pate-  
 bat, Burgundis Belliducibus nihil ma-  
 gis persuasum erat, quam de expugnanda  
 civitate penitus desperandum, ac denique  
 proximum totius exercitus exitium ti-  
 mendum esse, si diuturniori urbis tam  
 valido præsidio munitæ obsidioni insiste-  
 retur. Hanc ob rem Burgundiæ Ducem,  
 ut obsidionem solveret, importunius ur-  
 gent, ac tandem, quod petebant, impe-  
 trant. Ergo Bellovacensis urbs post vi-  
 gesimum obsidionis cæptæ diem in liber-  
 tatem restituitur. Ceterum invicta ob-  
 fessorum virtus præcipue suffulta erat  
 fuorum Belliducum fortitudine. Hos in-  
 ter præter plures alios præcipui erant  
 Gamachus, & Loheacius Marescalli, Lu-  
 dovicus Crussolius, Croya, Salasar, Vi-  
 gnolius, & Chabannius. Scribit Meze-  
 rajus, ipsas quoque mulieres, quibus  
 præerat Joanna Hachetta, in hac obsi-  
 dione miræ virtutis specimina edidisse:  
 hanc ob rem hodie in Prætorio ur-  
 bis statua visitur, quæ præfatam Heroi-  
 nam manu gladium tenentem exhibet.  
 Eadem etiam die decima Julii, qua obsi-  
 dio soluta est, solemnitas instituta est sup-  
 plicatio, in qua foeminae Viris priores  
 incedebant.

*Mezer. Sy-  
 nops. Chron.  
 hist. Lud. XI*



## §. CXXXVIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1472.

*Burgundi irruptio in Normanniam.*

Dux Burgundiæ nupero Bellovacensis obsidionis ignominia adeo non absterrebatur, ut etiam ad nova molimina animum adjiceret, atque in Normanniam cum exercitu suo irrumperet, ibidem Britanniae Ducem, uti promiserat, præstolaturus. Verum Britannorum copiae in eam Provinciam penetrare haud poterant, eoquod interea Ludovicus Rex Aquitanniam occupasset, ac rupta omni mora in Britanniam agræen suum duxisset. Re comperta Burgundiæ Dux, cum Britanniae Ducis copias utpote ad tuendam patriam reservatas adducere haud posset, primo Augium (\*) urbem, S. Galerici oppidum, & novum castrum occupat, dein in Caletensem Agrum populabundus excurrit, Deppæ suburbia incendit, ac demum eadem armorum rapiditate Rothomagum usque progreditur, ubi Britonum copias suis jungendas sperabat. Ast spe sua delusus, pedem referre cogitur, amissis denuo cunctis urbibus, quas præcipiti victoria nuper emensus

Commin.

l. 3. c. 10.

Causæ.

fus

(\*) *Golnitzius in suo Itinerario Belgico-Gallico hanc urbem appellat Eufium.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1472.  
sus erat; Talem denique finem Burgundiae Dux expeditioni suæ imposuit. Post hæc Regis copiae, Augio & S. Galerici oppido recuperatis vicem reddebant, nec minori ferocia ac antea Britones Picardiam atque Normanniam, nunc ipsæ Burgundiae Ducatum devastabant, totamque Provinciam continenti incendio involventes, omnia igne ac cædibus miscebant.

## §. CXXXIX.

*Lescunus ad Regis partes pertractus.*

Rex rebus omnibus in Aquitannia compositis, copias suas ad Pontem Cæsaris in Andegavia promovet, ut Britanniae Ducem, incusso timore a Burgundi societate avelleret. Eadem occasione Rex ad suas partes pertrahebat Lescunum. Hic defuncto Aquitanniae Duce, cui addictissimus erat, in Britanniam sese receperat. Utebatur præprimis Ludovicus opera Philippi Essarti, & Guillelmi Suplevillæ, qui ambo Lescuno ab obsequiis erant, auroque a Rege corrupti iterato suasu atque instinctu Dominum suum urgebant, ut Regis voluntati morem gereret, eoquod ille erga eum optime affectus esset. Lescunus gloriæ cupiditate accensus existimabat, quod nulli, quam in Franciæ Regno luculentius præclaras animi sui dotes ostendere posset;



set; hanc ob rem clam cum Rege de Sæcul. XV.  
 concordiaë pactis egit. Ludovicus, ut A.C. 1472.  
 Lescunum sibi devinciret, eidem cuncta, Blais.  
 quæ petebat, concedit, eumque non  
 modo Convenarum Comitem creat, sed  
 etiam illum Blaviaë, utriusque arcis Ba- Trompette.  
 jonensis, Burdegalensis castri Trompette,  
 Taftæ urbis, & oppidi S. Severi Præfe-  
 ctura auget, ac insuper in Burdegalensi,  
 & Landarum tractu suprema Seneschalli  
 jurisdictione decorat, adjectis etiam in  
 donum viginti quatuor aureorum milli-  
 bus, ac in pensionem annuam aliis sex  
 millibus librarum.

## §. CXL.

*Defectio Britanniaë Ducis  
a Burgundo.*

Testatur Comminæus, Regem inter &  
 Lescunum convenisse de solvenda  
 Britanniaë Duci annua pensione centum  
 viginti millium librarum; hujus tamen  
 summæ nonnisi mediam partem, & qui-  
 dem primis duntaxat duobus annis nu-  
 meratam fuisse. Præterea Suplevillæ in  
 laboris præmium data sunt sex millia au-  
 reorum, præter annuam pensionem mille  
 ducentarum librarum (\*), unacum Ba-  
 jonen-

(\*) *Libra Gallis Franc, moneta Gallica est  
 valoris viginti solidorum.*



Sæcul. XV A.C.1472. jonensis urbis Præfectura; eidem quoque Rex Montargiensis Provinciæ Rectorem constituit, aliasque in Aquitannia dignitates concessit. Nec minus amplum laboris sui præmium accepit Effartius; hic enim præter quatuor nummum millia, ac mille ducentas libras in pensionem datas, etiam Meldensis Prætor, ac fluminum & nemorum supremus in Francia Præfectus renunciatus est. Pactis utrinque firmatis Britannix Dux sincera fide pollicitus est, se a Burgundi partibus defecturum. Ludovicus Rex his necdum contentus, Philippum quoque Comminæum, qui inter Aulicos ejus dexteritate nemini secundus erat, a Burgundiæ Ducis fide atque obsequio abstraxit.

## §. CXLI.

*Comminæi defectio a Burgundo ad Regem.*

*Commin. l. 3. cap. 11. edit. ann. 1723. tom. 3. p. 469.* Qua occasione Comminæus hoc anno sua studia obsequiumque Regi adixerit, ignoratur; id tamen certum est, quod Comminæus tanta nominis sui fama inclaruerit, ut omnes ferme Europæ Principes ejus opera, consortiove uti certatim expeterent. Nullum Virum animi celsitudine, ac morum probitate majorem ulla hucusque ætas tulit. Emittit in sano civilis Prudentiæ usu, cujus præ-



præcepta cum omnibus Christianæ fidei Sæcul. XV.  
 regulis adeo seici copulabat vinculo, ut A.C. 1472.  
 neutrius leges unquam violasset. Flan-  
 driæ Historici causas, quæ Comminæum  
 ad defectionem impulissent, conjectura  
 assequi conantur, sed haud alias licet  
 plures in medium proferunt, quam quæ  
 calumniam redolent. Ceterum ea in re  
 vero magis simile videtur, quod Commi-  
 næus, cum probe cognosceret, quod  
 Burgundus periculosis Aulicorum consi-  
 liis impulsus ruinæ suæ proximus ap-  
 propinquaret, Principis sui obsequium  
 deserere statuerit, priusquam ille ulti-  
 mum exitium experiretur, ut calumniam  
 effugeret eorum, qui Ducem eo auctore  
 in calamitates, quæ eidem jam tum im-  
 minebant, prolapsum fuisse criminari pos-  
 sent. Ludovicus autem, cum se Com-  
 minæi opera a Burgundi Ducis manibus  
 liberatum fuisse optime nosset, tanti be-  
 neficii sibi Peronnæ præstiti memor, il-  
 lum haud vulgaribus beneficiis cumulavit.

## §. CXLII.

*Beneficia Regis in Comminæum.*

Præprimis Ludovicus Rex Comminæ-  
 um sibi a cubiculo esse voluit, dein  
 non raro regiæ mensæ convivam adhi-  
 buit, semperque intimum arcanorum ar-  
 bitrum, ac in omnibus consiliarium ha-  
 bebant.



Sæcul. XV. <sup>A.C. 1472.</sup> bebat, sæpissime in difficillimis etiam negotiis ab ejusdem consilio pendeat. Uxorem quoque Comminæo selegit Helenam Chambesiam, unicum Filium ac Montforeau. Montfiori hæredem. Eo connubio auctus est ditionibus, Argentorio, Vocellia, Vouzelle. Caria, Coppela, Briffonia, Villantria, Coppou. Gurga, Begnonia, Savignia, necnon Villantrois. Mottixæ castro. Erat ipsi arcta magis Gourgue. cum Rege familiaritas, quam olim cum Burgundiæ Duce habebat. Ipse Rex nonnunquam animi relaxandi gratia ad castrum Argentorium concessit, ubi etiam aliquando adversa valetudine oppressus hæere compellebatur, quin tamen inde palatii angustix regiis Ministris satis commoda denegassent cubicula. Præterea Ludovicus Comminæum maxime honorificis legationibus decoravit, ejusdemque curæ summi momenti negotia, quæ durante ejus regimine occurrerant, commisit, simulque in laboris præmium eidem adjecit Talmontii Principatum, præter Aulonam, Curzonem, Castrum Gontheri, & Calvum.

Gayme.

## §. CXLIII.

*Pia consuetudo ad meridiem pro salutatione Angelica pulsandi campanas a Ludovico XI. introducta.*

Ludovicus XI., quamvis ceteroquin ejus



ejus agendi ratio non raro veræ Re-  
 ligionis legibus parum consona esset, ni-  
 hilominus præcipuo studio in Dei San-  
 ctos ferebatur, eorumque Ecclesias or-  
 namentis splendide ditabat, & singulis an-  
 nis sacras peregrinationes obibat, præ-  
 cipue vero ad ædes, ubi speciali religio-  
 ne Deipara Virgo colebatur. Ejusdem  
 cultum promovendi studio impulsus, die  
 prima Maji Parisiis solemnem decrevit  
 supplicationem, jussitque, ut campanæ  
 ad meridiem pulsarentur, ac populus ver-  
 sum *Angelus Domini* cum Angelica salu-  
 tatione devote recitaret, eo sive, ut pax  
 regno suo tum vel maxime necessaria per  
 Beatissimæ Virginis deprecationem obti-  
 neretur. Non deerant, qui hunc Regis  
 fervorem simulatæ pietati adscribebant,  
 vel potius imprudenti Religionis Zelo,  
 quo persæpe neglectis veræ pietatis legi-  
 bus nonnisi externis eiusmodi virtutum  
 exercitiis insistebat. Præterea cum eo-  
 dem die, quo solemnis hæc supplicatio  
 instituebatur, Guilielmus Charterius Pa-  
 risiensis Episcopus repentina morte obi-  
 ret, inde non levis suspicio multorum in-  
 sedit animis, fuisse eum jussu Regis ve-  
 neno sublatum; perspectum enim erat  
 omnibus, quod Rex huic Episcopo mul-  
 tum infensus esset, eoquod in bello *boni  
 publici* Ludovici hostibus favisset. Ce-

sæcul. XV.  
 A.C. 1472.

Gaguin. hist.  
 Ludov. XI.  
 lib. II.



Sæcul. XV. A.C. 1472 terum Antistes iste tam doctrinæ quam pietatis laude longe clarissimus erat, duosque fratres habebat, Joannem Ordinis S. Benedicti Monachum, Auctorem Chronicorum, quæ vulgo dicuntur *magna Chronica Dionysiana*, alterum vero nomine Alanum, qui Carolo VII. ab epistolis erat, ejusque gesta conscripsit.

## §. CXLIV.

*Legatio Regis ad Papam.*

*Papiens.  
epist. 450.  
Bæov. in  
hunc ann.*

Interea Ludovicus, cum haud temere summi Pontificis indignationem pertimesceret, eo quod Bessarionem Cardinalem tam indigno modo excepisset, hinc ad eum Legatos hoc anno decrevit; hos inter præcipuus erat Theobaldus Lucemburgicus Cenomanensis Episcopus. Hi vix Romam pervenerant, cum in quodam Senatu hanc in rem die octava celebrato coram Papa & Cardinalibus audirentur. Equidem Papiensis Cardinalis, qui tum præsens aderat, de hac Legatione mentionem ingerit: quæ tamen ibidem proposita fuerint, silentio premit. Nihilominus quorundam opinio est, quod Rex per suos Legatos summum Pontificem rogaverit, ut Lugduni Synodus celebraretur, ad quem omnes Christiani Principes convenirent, eo fine, ut restituta in-  
ter



ter eos concordia, pro communi fidei salute tandem proficua, ac praesenti rerum statui congrua decernerent remedia. Re-  
 ferunt alii, Regem insuper petiisse, ut Carolus Borbonius regio sanguine ortus, necnon Lugdunensis Archiepiscopus Cardinalium Collegio adscriberetur, atque imposterum ex Franciæ Episcopis nullus nisi Regi acceptus hac dignitate decoraretur, necnon alternis saltem cum Pontifice mensibus beneficia conferendi libertas Ordinariis relinqueretur. Præterea Legati, nomine Regis sui, postulabant, ut Beneficiorum vacantium aestimatio ad Concilii Constantiensis præscriptum reducatur, & prima causarum cognitio ad Romanam Curiam non evocetur, nec Clerus aliunde vix non exhaustus decimas & subsidia pro bello Turcico conferre cogatur. Denique petebant, ut quidam Pragmaticæ Sanctionis articuli in Regni comitiis hanc in rem celebrandis moderentur, atque explicentur.

## §. CXLV.

*Responsum Pontificis ad Regis  
postulata.*

Ad hæc Regis postulata Pontifex hunc ferme in modum respondisse dicitur: attenta præsentis rerum vicissitudine de



Sæcul. XV. Synodo convocanda intempestiva est peti-  
 A.C. 1472. titio; quippe ad hanc longius requiritur  
 tempus, cum tamen recentes Turcarum  
 victoriæ, & instans periculum prompta de-  
 poscant auxilia, & minima etiam cunctatio  
 Religioni summe nociva sit: insuper ce-  
 teri Principes subsidia a se promissa aut  
 jamjam submiserunt, aut eadem suppeditare parati sunt; nullatenus igitur ipse  
 Galliarum Rex suam quoque operam ad  
 tam pium opus conferre cunctetur, nec  
 decimas a Clericis Regni sui, & elemo-  
 synas a fidelibus colligi prohibeat: cete-  
 rum in reliquis omnibus, quæ Rex ex  
 æquo postulabit, semper Sedes Apostoli-  
 ca eidem suæ benevolentia ac sinceris  
 erga eum affectus testimonia exhibebit,  
 necnon, quoties occasio tulerit, hoc  
 idem opere præstabit. *Exstat inter Ex-*  
*travagantes communes Juris Canonici quæ-*  
*dam constitutio hujus Pontificis die septi-*  
*ma Augusti ad Galliarum Regem data.*  
 In ea Pontifex de beneficiis, gratis, nec-  
 non de causarum cognitionibus, & be-  
 neficiorum æstimationibus agit secundum  
 ea, quæ Rex a Papa petierat. Attamen  
 ea est quorundam opinio, quod hæc  
 Bulla ad effectum non fuerit deducta;  
 cum Juri Communi, & decretis Concilii  
 Constantiensis & Basileensis contraria  
 esset. Ceterum Archiepiscopus Lugdu-  
 nensis

*Extrav.*  
*Comm. lib. I.*  
*tit. 9. cap. 1.*



nenfis, quem Rex purpura decorari effla-  
gitabat, nonnisi quarto abhinc anno Car-  
dinalis creatus est, aliis etiam Anno mil-  
lesimo quadringentesimo septuagesimo  
sexto simul sacro Collegio adscriptis: hoc  
ipso tamen anno idem Archiepiscopus  
a Sixto Papa Avenionensi Legatione au-  
gebatur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

## §. CXLVI.

*Amadæi IX. Sabaudicæ Ducis obitus.*

Hoc anno Amadæus ejus nominis no-  
nus, vulgo dictus *Beatus*, Ludovici  
Sabaudicæ Ducis, necnon Annæ de Cy-  
pro Filius Vercellis in vigilia Paschatis  
animam Deo reddidit, annos natus tri-  
ginta septem. Hic Tunonii Anno supra *Guichemou*  
millesimum quadringentesimo trigesimo *hist. Sabaud.*  
quinto prima Februarii die primam lu-  
cem aspexit; Anno autem Salutis mille-  
simo quadringentesimo sexagesimo octa-  
vo Patri suo in Ducatu successit. Prin-  
ceps erat pietate præstans & acerrimus  
quidem justitiæ vindex, sed tamen nimis  
præpropera oblivione iniuriarum, quæ ei  
ab inimicis irrogatæ fuerant, memoriam  
abolebat. Cum ipse assiduis adversæ va-  
letudinis suæ incommodis premeretur,  
summæ rerum præficiebat Jolandam Re-  
gis Franciæ Sororem conjugem suam,  
quæ non sine ingenti prudentiæ laude  
imperii



Sæcul. XV. imperii clavum tenebat. Res ea tamen  
 A.C. 1472. Optimatibus displicuit; se enim a regi-  
 minis consortio excludi ægerrime fere-  
 bant. Bressiæ Comes, ut horum factioni  
 faveret, Mense Julio Anni posterioris  
 Sabaudiam invasit, & Monmelianensi ur-  
 be insidiosè occupata, ipsum Amadæum  
 comprehendit, captumque Cambrium  
 abduxit. Ludovicus re comperta conse-  
 ftim missis in auxilium copiis seditiosos  
 Principes unacum Bressiæ comite ita  
 compescuit, ut hi pacem, quam & im-  
 petrarunt, petere compellerentur. Cete-  
 rum Amadæus, cum plura miracula ejus  
 sanctitatem testatam redderent, insigne  
*Beati Ducis* nomen emeruit; Adhuc in  
 cunis vagiebat, dum Turonibus die deci-  
 ma sexta Aprilis Anno millesimo qua-  
 dringentesimo trigesimo sexto eidem Jo-  
 landa de Francia Caroli VII. Regis, &  
 Mariæ Andegavensis Filia despondere-  
 tur; Hæ tamen nuptiæ nonnisi Anno  
 Christi millesimo quadringentesimo quin-  
 quagesimo secundo in Foro Segusiano-  
 rum solemnè ritu celebratæ sunt, ex quo  
 connubio Parentes hi, benedicente Deo,  
 sex filios ac quatuor filias susceperunt;  
 Hos inter Philibertus filius natu major  
 Amadæo successit.



## §. CXLVII.

*Gastonis Fuxi Buchii Dynastæ  
extrema.*

Vivis pariter ereptus est Burdigalæ mense Aprili Joannes Gasto Fuxus, Buchii promontorii Dynasta, qui vulgo Vianæ Princeps nuncupabatur, eoquod eidem proximum succellionis jus in Navarræ Regnum competeret. Is quamvis pertinaci studio Anglorum partibus semper adhæreret; Anno tamen millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio ab eorum foedere recessit, officiis atque amicitia Ludovici expugnatus; ejusdem Regis jussu Gasto Magdalenam de Francia Ludovici Sororem in conjugem accepit, ex qua duas suscepit proles, hunc marem, illam foeminam. Filius ejus cognomento Phoebus, Navarræ Rex salutatus est; verum illo in tenera adhuc ætate vivis erepto, ejusdem Soror Regni habenas moderabatur. Hæc tamen paucis post annis Navarræ diadema ad Albretianam transtulit familiam; inde vero tractu temporis ad Gallicam stirpem Regnum devolutum esse constat.

## §. CXLVIII.



Secul. XV.  
A.C. 1472.

§. CXLVIII.

*Nicolaus Calabriae Ducis Filius  
mortuus.*

Gastonis fata proxime exceperat Nicolai obitus, qui Joannis Calabriae & Lotharingiae Ducis Filii Nanceji nulla prole relicta decessit; unde in ejus ditiones Jolanda ejusdem Amita succedebat. Fuit illa Renati Siciliae Regis, Provinciae & Andegavi Comitis Filia, necnon Friderici de Lotharingia Valdemontii Comitis Vidua, ex quibus primis nuptiis Filium habuit Renatum nomine, a quo ceteri omnes Lotharingiae Principes genus suum ducunt.

§. CXLIX.

*Ægidii Carlerii obitus.*

*Dupin. bibl. Script. tom. 12. p. 100. Conc. tom. 12. p. 1159. Canisius antiq. lect. tom. 3. p. 289. Min. in auct. de Script. eccles.* Ægidius Carlerius Scriptor celeberrimus, die vigesima tertia Novembris summa senectute expleta hunc annum millesimum quadringentesimum septuagesimum secundum in postremis habuit: quamvis Cave hujus viri mortem ad Annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum tertium, proin ad tempus integro anno posterius, rejiciat. Ægidius Cameraci prima luce aspexit; studio-



studiorum vero curriculum Parisiis in Na-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
 varræ Collegio emensus cum ingenti no- <sup>A.C. 1472.</sup>  
 minis sui fama libros Magistri sententiarum  
 interpretatus est; tandem vero Anno Sa-  
 lutis millesimo quadringentesimo decimo  
 quarto in Parisiensi Facultate Theologiæ  
 Doctoris laurea decoratus floruit. Non  
 minori applausu in eadem Metropoli Ver-  
 bi Divini Præconem, atque interpretem  
 agebat; demum vero Anno post Chri-  
 stum natum millesimo quadringentesimo  
 quinquagesimo primo Cameracensis Ec-  
 clesiæ Decanus salutatus est. Aderat  
 etiam in Consilio Basileensi, ubi suam  
 quoque in Hussitis ad sinum Ecclesiæ re-  
 vocandis operam strenue navabat, atque  
 ab eadem Synodo in Bohemiam cum  
 aliis Orator decernebatur, nihilque in-  
 tentatum relinquebat, ut legationi suæ  
 optatus responderet successus. Ad sum-  
 mam senectutem vitæ suæ dies protraxe-  
 rat, ac demum Facultatis Theologicæ De-  
 canus Parisiis renuntiatus est. Basilea  
 redux contra Nicolaum Galecum Tabo-  
 ritam de publica peccatorum poenitentia  
 solidos quatuor dies acerrime conflictit,  
 ejusque oratio ad nostra usque tempora  
 pervenit. Varias etiam casuum consul-  
 tationes postea responsis suis illustrabat,  
 quæ in duo volumina distinctæ Bruxel-  
 lis Anno Salutis millesimo quadringen-  
 tesimo



**Sæcul. XV.** tesimo septuagismo octavo in majori forma excusæ publici juris factæ sunt.

**A.C. 1472.** Primum volumen inscribitur: *Sporta*, ac diversos complectitur tractatus de conservatione bonorum Ecclesiæ ejusque defensoribus; de perpetua virginitate B. V. M. contra Iconomachos; & de Clericorum coelibatu. Alterum, anno sequenti editum sub titulo *Sportula* continet tractatus de electione Judæ proditoris; de Hierarchia ecclesiastica; de redditibus ad victum necessariis; de decimis; de imaginibus; de confessione &c. Asservantur etiam in Navarrensis Collegii Bibliotheca plura alia ejusdem Doctoris opuscula necdum typis impressa, inter quæ præcipue sunt Commentarius in Magistrum Sententiarum; tractatus de communione laicorum sub una specie; & de casibus conscientiæ, præter ingentem sermonum collectionem.

